S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLÆ.

S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLÆ

Tomus II.

NAZARETH
ME
VENITE SEORSUM

HONGKONG

TYPIS SOCIETATIS MISSIONUM AD EXTEROS

1890.

Dans ce second volume, les lettres de St. François Xavier sont partagées en quatre livres : ce sont les sixième, septième, huitième et neuvième de la collection.

Les lettres de Malacca au mois de juin 1549, avant le départ pour le Japon, composent le sixième.

Tout ce qui a été écrit au Japon, de novembre 1549 à la fin de 1551, est renfermé dans le septième.

Au huitième appartiennent les lettres de Cochin et de Goa, des quatre premiers mois de l'année 1552.

Enfin le neuvième contient les dernières lettres du Saint écrites à Malacca, Singapour et Sancian (Samchan), de juin à novembre 1552.

A la table explicative des noms propres promise dans le premier volume, on a joint quelques notes et corrections, ainsi que les Variantes de Cutillas et des éditions de Louvain et de Cologne, pour rendre l'édition aussi exacte que possible. On les trouvera à la fin du volume.

Dieu soit béni!

S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLARUM

LIBER SEXTUS.

EPISTOLA I.

Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Consilium Japonicæ expeditionis sibi divinitus injectum: trium Japonum, viæ comitum, pietas, et Malacensis præfecti erga se suosque humanitas et munificentia, quibus se regi devinctum profitetur; eumdemque hortatur ad prævidenda novissimorum jacula, ut prævisa minus feriant.

AUDITIS, Domine, ac sæpe multumque consideratis, quæ a variis, iisdemque idoneis auctoribus, quippe in re præsenti versatis, plurima et mira referuntur de insigni quadam dispositione quæ in insulis Japoniæ cernitur ad accipiendam nostram sanctam religionem; putavi mihi vehementer atque instanter a Deo nostro Domino petendum, ut dignaretur sensu quodam intimo in animum meum immisso significare, ecquid ipsi cordi esset, me illo proficisci; simulque daret vires ad perficiendum

quod juberet. Placuit divinæ majestati ejus me voti compotem facere. Plane siquidem in animo meo sentio, et penitus persuasus sum, expedire ad Dei obsequium me in Japoniam tendere. Ergo alacri vigens fiducia, moras abrupi omnes ex India solvens; ut jam haud dubie vocantem, crebrisque ac vehementibus incitantem ad istud iter impulsibus Deum sequerer.

Eo cursu hunc Malacæ portum tenuimus duo socii mecum, et tres Japones christiani recentes, sed valde boni, qui post plene percepta Jesu Christi Domini nostri vitæ ac doctrinæ mysteria et dogmata, Goæ in collegio *Sanctæ Fidei* baptizati sunt. Omnes legere more nostro ac scribere didicerunt, recitantque ecclesiasticas preces, ac statis horis divina meditantur. Movet illos atque afficit præcipue consideratio laborum et dolorum Christi, Crucisque ac mortis ejus recordatio, in qua sæpe magnis animorum sensibus et teneris affectibus versantur. Meditationibus asceticis Patris Ignatii mentem excoluerunt attentione summa, mirosque inde fructus reportarunt clarioris Dei notitiæ: frequentant sponte sacramenta confessionis et communionis; et ad hoc nobiscum iter ingentibus desideriis urgentur adducendorum ad Christi religionem popularium suorum.

Pervenimus huc, sex quos enumeravi, Malacam pridie Kal. Junias Anni MDXLIX. Arcis Malacensis præfectus excepit nos omnes eximia caritate, prolixeque detulit quidquid a se

optari studii et favoris posset ad expediendum et promovendum hoc nostrum iter, quod magna spe Deo inserviendi, et majestati tuæ gratificandi, suscepimus: mox verborum humanitatem officiorum sedulitate superavit. Ita enim elaboravit in quærenda nobis nave commoda, cæteraque opportunitate procuranda tuto et facile pergendi quo tendimus, ut quæ quo primum die huc appulimus liberaliter et benigne multa promiserat, cumulatissime repræsentaret. Quidquid ejus potestatis fuit, in eo prompte, benevole, ultro nobis offerendo nihil sibi ad summam humanitatem reliqui fecit; quæ vero ambitu et gratia exoranda ab aliis fuere, in iis eblandiendis omni studio, conatu omni efficiendis, tantum elaboravit, tamque insigni teneræ in nos caritatis demonstratione nostra causa contendit, ut facile sentiamus nos semper impares fore isti ejus remunerandæ beneficentiæ; qua majorem efficacioremque ne a fratre quidem germano exspectare poteramus.

Per quo Deum Dominum nostrum complecteris amorem, oro obsecroque te, domine, ut quæ plurima hoc nomine Petro de Sylva debemus, rependere vice nostra majestas tua dignetur. Large suppeditari jussit quidquid nobis opus fuit, non modo in viaticum navigationis hinc in Japoniam; sed in sumptum etiam et victum commorationis illic longiusculæ, et ædificationem sacelli ubi sacrum Missæ sacrificium offerre Deo possimus: quam proprie in

rem largitus nobis est triginta modios piperis optimi, electi ex omni copia quæ Malacæ fuit. Addidit multa speciosa et magni pretii munera, regi Japoniæ offerenda: ut iis ille delinitus faciliorem se admittendis nobis, et in regno suo tolerandis præbeat.

Hæc ita minute narro majestati tuæ, quo intelligas quibus me beneficiis et honoribus afficiant fideles tui subditi qui in Indiis sunt. Equidem, domine, vere mihi dicturus videor, neminem unquam in Indiam venisse, cui tantum vel honoris vel gratiæ tribuerent degentes illic Lusitani, quantum mihi detulerunt. Totum hoc debeo majestati tuæ, crebrisque tuis illis et efficacibus commendationibus mei ad eos, quos negotiis regni tui præfectos habes per Indicos tractus. Quos inter quoniam dominus Petrus de Sylva præfectus Malacensis in me juvando, colendo, ornando insigniter excelluit, iisque me sibi beneficiis obstrinxit, quibus inopia et imbecillitas mea parem a me unquam referri gratiam prohibent, peto ut me sinas constituere in liberalitate tua supplementum egestatis meæ. Id consequar, si dignabitur majestas tua, et huic et aliis de me optime meritis largiter in mei gratiam benefaciendo, ea cuncta repræsentare, quæ ego ipsis cum debeam, exsolvere non possum.

Deus Dominus noster per suam infinitam pietatem et misericordiam illuminet plene ac penitus mentem majestatis tuæ ad clare cog-

noscendum suam sanctissimam voluntatem; addatque gratiam perfecte exequendi quæ ipsi placere noveris: sic prorsus ut fecisse gauderes in momento mortis tuæ, quando sisteris ante Dei tribunal redditurus rationem omnium quæ per universam vitam egisti. Vehementer etiam atque etiam obsecro te, domine, ne pigreris jam nunc præparare in illud ultimum periculum decretorii momenti quidquid expediri modo ac præverti potest. Morbus enim supremus et mortis ingruentis vicinia, ita mentem languentis in angorum dolorumque, qui plurimi acerbissimique tunc sæviunt, præsenti sensu miseram defigit, ut illi nequaquam vacet aliis curis aut cogitationibus attendere, quam quas illa horribilis scena rerum animo sese tum primum objiciens, tristissimas et inutiliter cruciantes incutit, quarum informare speciem nemo potest qui non sit expertus.

Malacæ, die Festo Corporis Christi, Anno MDXLIX.

Majestatis tuæ servus inutilis.

FRANCISCUS.

EPISTOLA II.

PP. Paulo Camerti, Antonio Gomezio, Balthasari Gago.

De itinere Malacensi, ac de matura profectione Japoniensi; de primo P. Alfonsi sacrificio, describendi sedulitate, precandi studio, et de quibusdam a se regi Lusitaniæ commendatis. Religiosos omnes, plebem ipsam, Fratres nostros, episcopum et regem eximie colendos. Accuratas a Gago litteras, infelicium curam a Gomezio, et quotidianas preces profligandæ superstitioni ab omnibus exposcit.

Gratia et pax Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

Hos paucos versus cursim vobis exaro, quoniam scio deesse non posse, quin vos delectet nosse ut se iter hoc nostrum habuerit, et de nostro Malacam appulsu. Cocino solvimus VII. Kal. Maias, incredibilem illic prius experti humanitatem Franciscanorum Patrum: exceperunt nos summa, nec fuci ullius suspecta, demonstratione caritatis, quo illis nomine et debemus, et semper debere fatebimur plurimum. In cursu Malacensi consumpsimus dies non totos quadraginta. Pervenimus Malacam valentes ac vegeti, cum ego, tum Pater Cosmus Turrianus et reliqui, nullo languente, nullo ne nausea

quidem aut tenui commotiuncula tentato; tempestate usi sumus toto cursu percommoda; piratarum Acenorum nec periculum nec suspicio fuit: adeo fortunare usquequaque navigationem istam Deo Domino nostro placuit; cui maximas eo nomine et habemus et agimus, et rependi a vobis quoque poscimus, laudes et gratias. Pridie Kal. Junias in hunc portum Malacensem exscendimus.

Excepit me præfectus et universa civitas a summis ad minimos, ingenti et benevolentissima significatione lætitiæ. Primis ipsis congressibus præfecto commendavi Japoniense nostrum iter. Obtulit ad id prolixe quantum in se foret; moxque promissa in rem contulit non exigua diligentia. Hoc ille tam benevolo studio et nos, et Societatem universam sibi mirifice devinxit. Tantus enim ea tota curatione ejus eminebat in nos amor, ut suo sumptu, nostra propria causa, Lusitanam navim armare mittereque in Japonem voluerit: fecissetque, si reperiri navigium ad hoc aptum potuisset. Exclusus isto consilio, applicuit animum ad navem Sinensis formæ, quam *Juncum* vocant, cujus navarchus Sina, *Latro* nomine, licet idololatra, familiam tamen Malacæ habet. Ab hoc pollicente se nos recta perducturum in Japoniam, præfectus haud temere credendum ratus homini ethnico, syngrapham exegit, qua volens declarabat: se in istius promissi fidem opponere pignori uxorem cum re familiari universa, ea conditione, ut nisi nostris ipsorum

litteris e Japonia relatis constitisset, recte nos illuc fuisse perductos juxta pacta, conjux quam relinquebat Malacæ, et quidquid in Lusitana ditione possidebat, fisco manciparetur.

Præterea nos idem præfectus cunctis rebus ad navigationem istam usque Japonem, et ad ibi domicilium figendum, necessariis, providentissime ac liberalissime instruxit. Impendit quin etiam nummos aureos ducentos in munera offerenda regi Japoniæ, quo eum conciliare nobis, et propitium habere in Evangelii promulgatione possimus.

Imus continuo cursu in Japonem, sine ulla in quoquam e Sinarum portubus mora. Fortunabit, ut speramus, Dominus Deus noster navigationem istam; nosque salvos illuc perducet, ubi sanctum ejus nomen glorificetur, primum per nos innotescens cæcis illis gentibus.

Alfonsus die Sanctissimæ Trinitati sacro primum Deo sacrificium rite obtulit, cum cantu et apparatu solemni, diacono et subdiacono ministrantibus. Processit ordinata in pompam linteata multitudo clericorum usque ad ædes *Sodalitatis Misericordiæ*, in quibus diversabamur, novumque mystam, nobis quoque prosequentibus, ad majus urbis templum abduxerunt; reduxeruntque post sacrum peractum eodem. In ipsa functione mysterii ei adstiterunt proepiscopus et noster Franciscus Perezius, diaconi partes obiit P. Cosmus Turrianus. Ego eodem die ad concionem dixi: mirifice delectavit, et

veneratione affecit intima populum tam augusta species sacrorum, quod nunquam viderant primitias divini sacrificii adeo exquisita ceremonia offerri.

Exspecto litteras a vobis fuse ac diligenter scriptas, quæ me plane ac singillatim doceant, cum de universo statu collegii, tum de singulis patrum ac fratrum illic degentium; ut quisque valeat, quid agat, quantum proficiat, qua industria, quo fructu elaboret. Invidebitis mihi jucundissimum fructum animi, si me ulla parte optatissimæ istius notitiæ fraudetis. Præterea scire aveo, quot qualesve socios e Lusitania profectæ naves exposuerint: qui numerus in iis sacerdotum clericorumve, quis adjutorum laicorum sit, ecquid illorum aliqui valeant concionandi facultate? quanta? et quibus ii aliis polleant dotibus? Hoc proprie argumento duo triave folia majoris chartæ velim expleri. Postremo de omnibus nostris in Comorino, Colani, Meliapore, Armuziæ, Bazaini degentibus, facite ut sciam cuncta, sic tanquam oculis præsens subjicerem. Ultra istas a vestrum altero, PP. Paule et Antoni, dandas ad me litteras, cupio significetis singulis patrum fratrumque nostrorum vobiscum viventium, petere me majorem in modum, uti ne graventur mihi propriis epistolis exponere statum animæ ipsorum; juvabit, pro meo in singulos peculiari affectu, cognoscere quibus quisque a Deo cœlestibus recreetur donis, qua pace gaudioque fruatur animi: quam

alacriter, obsequendo Deo Domino nostro, ad perfectionem tendat. Velim etiam, ut nomine omnium indigenarum alumnorum unus aliquis ipsorum, puta Jacobus a Mosambico, ad me scribat.

Nec nostri exspectent dum mutuas ab ipsis eliciam præmittendis ad unumquemque meis; ad quod sicut mihi caritas abundat, ita (prout facile omnes vident) otium non suppetit. Hanc epistolam communicari cunctis ipsis volo, rogoque ut quisque velut sibi nominatim inscriptam accipiat.

Istæ porro chartæ universæ, prout alias monui, mittantur Malacam ad Franciscum Perezium, cujus cura recte in Japoniam ad me destinabuntur.

Cum ipsi vos, quæso, mementote, tum date, amabo vos, operam, ut omnes patres fratresque nostri meminerint, Deo impense commendare quotidianis sacrificiis ac precibus, plane uti meipsum, dominum præfectum Malacensem, cujus tam luculenta in nos ac Societatem universam extant beneficia, ut iis rependendis plane impares simus, nisi succenturiemus Dei Domini nostri omnipotentem beneficentiam in supplementum egestatis et imbecillitatis nostræ, ne turpissimam ingrati animi consciscamus labem.

Litteras quas Ulyssipone, Conimbrica, Roma, P. Simonis aut aliorum e Societate recipietis inscriptas mihi, scitis jam mittendas esse Malacam nave Bandam versus solutura: sin ad tem-

pus ad id non occurrerint, imponantur certe regiæ celoci Ternatem Aprili mense destinandæ; qua etiam occasione non prætermittetis Molucenses nostros late de omnibus quæ in Europa et per Indias memorabilia geruntur, certiores facere.

Cæterum quas in fasciculo Europæarum ad me litterarum observaveritis sigillo regio insignes, de illis hoc peculiariter mando: resignate exemplaria earum quæ prima via venerint et legite, tum in fascem iterum compacta Malacam, ut dictum est, mittite. Cur has litteras velim a vobis, Pater Paule et Pater Antoni, prælegi, ea causa est, quod mentionem in iis futuram arbitror duorum negotiorum, ad quorum plenam expeditionem, me absente, vestra erit opera necessaria:

Scripsi ego dudum ad regem de domina Isabella olim regina Molucarum (fuit enim mater ejus qui ante regem hodiernum illic regnavit); quæ matrona, meo cum ibi essem ministerio, christianam suscepit religionem.

Scripsi pariter de Balthasare Velozo affini intimo regis Molucensis (habet enim ejus in matrimonio sororem), homine nostræ Societatis amantissimo, et qui promovendæ conversioni ethnicorum ad Christum, operam studiosissime utilissimam navat.

De his capitibus duobus responsurum mihi regem, pro cætera ejus benignitate, sperare debeo; quin etiam verisimiliter exspecto quædam regia diplomata, quæ istis ambabus de religione

optime meritis personis impetrare sum conatus, istis ad me litteris jungenda. Si mea me opinio non fefellerit, oro etiam atque etiam vos, ut ista diplomata per navim regiam mense Aprili ad Molucas Goa profecturam, summa cura nostris Moluci degentibus commendetis. Sin regis de his litteræ tacebunt: nec ulla utrique, aut saltem alteri horum inscripta charta regia toto fasciculo cernetur: tum vos ambo, Pater Paule et Pater Antoni, convenite confestim dominum prætorem, eumque magnopere orate, ut inspici jubeat num in fasce novissime perlato chartarum ad ipsum regiarum reperiantur decreta pensionis annuæ reginæ Isabellæ persolvendæ, aut certi honoris, vel immunitatis Balthasari Velozio, regis gratia, concessæ. Ea si fuerint inventa, impetrate a prætore, cum ut cætera cuncta, quæ ad plenum regiæ liberalitatis effectum repræsentandum opus erunt, ex se conferat, tum ut ipsa diplomata vobis committat, curaturis ut iis ad quos attinent reddantur. Horum quod reginam Isabellam spectat, sufficiet commendare nostris stationem Molucensem obtinentibus. Balthasari Velozo suum censeo vos ipsi proprio fasciculo cum litteris vestris, omni grati et obsequiosi animi significatione insignibus, inscribatis; id sedulo agentes, ut intelligat se, cum præsentes nostros beneficiis amplectitur, omnium ubique Sociorum mutuam sibi gratiam, efficacibus semper in occasione officiis testandam, obstringere.

Tibi jam, Antoni Gomezi, maximopere ac quam possum efficacissime commendo ut impense reverendis, ac Beatorum prope dixerim honore prosequendis, Patribus Ordinum Sancti Francisci et Sancti Dominici, summam semper caritatem, demississimam reverentiam, studium obsequiosissimum in omnibus exhibeas, non modo universos eximie colens, sed singulis, ut quisque occurrerit, per humanissima officia plenam fidem faciens veri ac sincerissimi amoris. Omnem autem ab eis dissensionem, aut simultatis initium quodvis ac speciem, cane pejus et angue tibi cunctisque nostrorum vitandam statue. In quo sic habete: prævertendis odiis, invidiæque ac suspicionibus seminatricibus discordiarum in ortu ipso extinguendis, efficacissimam fore operam conspectæ semper in singulis nostrorum minime fucatæ, sed ex intima demissione mentis in externam humilitatem propensæ modestiæ. Hos autem sensus atque affectus erga spectatissimos illos tam illustrium Religionum professores, nolo teneatis conclusos mentibus: exerite in opus visendis illis subinde officiose, et quocumque per occasiones, etiam studiose captatas, licebit, honoris atque obsequii genere demerendis, sitque horum ipse populus testis; ut spectator alioqui cupidus contendentium inter sese sacerdotum, nullum a vobis, aut vestra ex causa sperandum sibi tale spectaculum intelligat. Sed et ipsam plebem aut quidquid ibi cujusvis generis hominum est,

ut vobis adjungatis, benevolosque reddatis, ipsorum causa curandum est: sic enim duntaxat prodesse ipsis ad salutem animæ poteritis, istius porro non quæstuosæ, sed religiosæ popularitatis, ars spesque præcipua in eo sita est; ut nullis non verbis, factis, gestibus in quotidiana conversatione demonstretis modestissimam compositionem sese aspernantis animi, et vere fraternam inter vos mutuo, tum promiscue ad omnes fuci expertem et promptam ad opus caritatem.

Hoc, quantum ad amorem erga nostros attinet; tibi præsertim Pater Paule, qui cunctis istic præes, dictum puta, et boni consule orari te hic quoque, et obsecrari a me, ut nihil prætermittas, quo reddere te amabilem fratribus nostris qui a te reguntur possis, plurisque referre putes diligi te ab illis ex animo, quam tibi eos ad nutum obsequi.

Quod sequitur ad omnes istic nostros pertinet, quos jam nunc moneo, stent parati animis, intentique ad signum, si forte animadversa rei melius in Japonia, quam istic gerendæ facultate, ad uberiorem eos messem evocavero frequentes. Auguror equidem deesse vix posse quin quamprimum a me illuc accersantur aliqui; cæteris, ubi pignus spei primis successibus accesserit, haud longo post intervallo secuturis.

Date universi sedulam operam, ut domini episcopi vivam semper et ex animo propensam erga vos gratiam servetis: nolo autem conten-

tos esse vos vestram ei clientelam approbare meris honoris signis, et sterili declaratione reverentiæ, ultra omnes significationes venerationis infimæ procedite, quantum ipse sinet; ad communionem laborum ipsius, et molis qua prægravatur, sollicitudinis ecclesiarum parte, quantam volet in vos deonerare, alacriter humeris tollenda, sublevate canitiem patris optimi, christianæ religionis in his partibus supremi moderatoris: in cujus exhauriendis omnis generis mandatis, atque adeo exequendis vel nutu subostensis voluntatibus, non aliam volo vos obedientiæ vestræ metam figere, quam qui virium vestrarum extrema contentione conantium, ultimus finis est.

Impertiam vobis deinceps curam quæ me coquit rependendi, pro mediocritate facultatis nostræ, quantum debemus optimo et liberalissimo regi nostro pro magnis quibus non cessat nos afficere beneficiis; quantum Lusitanis in India degentibus, pro studio quo nos ingenti prosequuntur. Facile video haud opis esse nostræ, aliam illis referre gratiam, quam procurandæ Lusitanorum, ubicumque sive peregrinantur, sive domicilium habent, æternæ saluti, per ecclesiastica Instituti nostri ministeria, solerter et constanter insistendo. Ad hoc opus præsertim est concionatoribus bonis, quales jampridem doleo in multis Lusitanorum, satis alioqui frequentibus et talis auxilii multum egentibus, misere desiderari coloniis: cui neces-

sitati, ut grati animi officium non cogeret, instinctu communi caritatis succurrere deberemus.

Ea nunc præ cæteris inopia laborant Cocinum et Bazainum. Hæc me causa subigit imperare tibi, Pater Antoni Gomezi, in virtute sanctæ obedientiæ, ut eorum qui e Lusitania proxime venturi exspectantur, concionatorum, unum confestim Bazainum, alterum Cocinum destines: etiamsi duo tantum advenerint; et reliquus postea nullus sit vestro collegio Goano, nam istic eas partes tu sustinere adhuc, ut fecisti hactenus, poteris. Vide ne moram in hoc interponas ullam. Nam præterquam quod ex animi mei sententia et certo judicio sic jubeo, etiam fidem in hoc meam obstrinxi domino episcopo, cui scribo: me, ut id fiat, omni exceptione posthabita, mandasse. Deus Dominus noster pro sua infinita misericordia imprimat penitus mentibus nostris claram notitiam suæ sanctissimæ voluntatis; et simul vires spirituales nobis subministret ad ei obtemperandum, non minori perfectione obsequii, quam qua illi obedivisse in momento mortis nostræ gauderemus.

Exposui vobis scriptis Cocino litteris quam necessarium sit assignari Colani Societati domum, in quam recipere se possint, et ex qua prodire patres nostri qui excolendis per oram Comorinensem christianis insudant: in quam etiam congregari seminarium, et ubi schola institui puerorum illius tractus valeat; quo de-

nique depertentur, et ubi curentur operarii, qui succumbentes oneri laborum illius missionis immensorum, viribus subinde fatiscentibus, in morbos incidunt gravissimos. Age, oro te, mi Frater Antoni Gomezi, cum domino prætore, cumque primario quæstore, ut viam aliquam expediant tam non differendi operis repræsentandi; mittenda quamprimum ad P. Nicolaum Colani diversantem aliqua pecunia, vel alio subsidio, quo protinus inchoare rem tam urgentis usus queat.

Quæ mox subjungam te petunt, P. Balthaşar Gage, egeo enim quadam in re tua opera. Mandavi superius Patribus Paulo et Antonio, ut me certiorem faciant de rebus domesticis (hoc enim appellare vocabulo possum, quæ ad personas, domos, acta Sociorum qui sunt in India pertinent.) Atqui vel necessaria, vel utilis certe mihi est notitia eorum quoque quæ aut peregre, aut ab exteris geruntur. Hanc tibi ego provinciam seposui, multa fiducia caritatis in me tuæ: ne igitur, oro te, gravere scrutari chartas et commentarios e Lusitania perlatos Europæarum rerum, sciscitari etiam ex appulsis inde, sicque ex lectis auditisve mihi excerpere quæ referuntur ad hæc capita. Qui sit status Romæ Societatis nostræ? Conimbricense collegium quatenus creverit? An et quinam e nostris utrobique sese offerant ad veniendum huc adjutum nos? Negotium missionis Æthiopicæ vigeatne adhuc, an omissum

sit? designatusne jam fuerit eo mittendus patriarcha, et quam mox soluturus nuntietur? Simon noster quid cogitet, quid agat? per Indiam quid moliantur Reverendi Patres Ordinum Sancti Francisci et Sancti Dominici? quo fructu in animarum cultura elaborent? utrum ipsis ex Europa supervenerint supplementa suorum, præsertim concionatorum?

Velim etiam peculiariter me doceas ecquid valeat et floreat optimus amicus noster Cosmus Agnezius? quibus domum ejus ac familiam Deus Dominus noster favoribus fortunet? Addas ad extremum de te ipso, quibus cognitis gaudeam, de valetudine, de progressibus in via spiritus, de desideriis agendi magna, patiendi dura, pro Christi gloria. Etsi hæc te sponte ac libenter mea causa, pro tua humanitate, facturum scio, addo tamen, ne merito obedientiæ frauderis, præcisum sic agendi imperium.

Moneo ad extremum ut proficiscendi signum a me promptus ac procinctus exspectes: accersam enim te huc citius quam opinaris.

Iterum te compello, Pater Antoni Gomezi, enixe commendans, ut si nostri Comorinenses ad te preces querelasve suas, vel christianorum quos curant, detulerint, misere interdum oppressorum vi et injuriis præfecti, ad illos sublevandos, omissis omnibus, incumbas; utarisque ad id opera Ruyzii Gonzalis, qui patronus et pater cum sit infelicium illorum, idemque apud

prætorem gratia valeat, multum ad illos protegendos et poterit et volet.

Superest ut in hoc periculo ancipitis, longæ, laboriosæ navigationis nostræ Japonicæ, corroborari debilitatem nostram vestris universorum precibus exposcam. Oro igitur vos pariter omnes, quotquot Goanum istud collegium incolitis, dignemini quotidianis orationibus et sacrificiis opem divinam implorare Patri Cosmo Turriano, Joanni Fernandi, Paulo Japoni, et sociis ejus duobus Manueli Sinensi et Amatori, tum postremo mihi.

Audimus hic multa de Japone quæ spe optima nos implent operæ pretii ingentis ex nostra illuc profectione proventuri. Narrant quippe albas ibi late cerni ad messem fruges, tædere multos illic superstitionum avitarum, cupere non paucos audire de Christi lege, cujus ad illos, cum non exigua commendatione, fama pervenit.

Monstrantur litteræ quorumdam negotiantium in Siami regno, testantes appulsos illuc Japonas aliquos, auditos fuisse cum dicerent: cupere populares suos adventum in suas terras, Europæorum sacerdotum, qui tradant ipsis veram de Deo doctrinam.

In tantæ occursum spei advolamus alacres, gestientibus animis, et quodam augurio præsagæ fiduciæ, successus sibi despondere quantosvis audentibus. Utinam modo donorum auxiliorumque cœlestium, sine quorum affluxu

copioso vanus omnis ad conversionem gentium labor est, peccata nostra ne intercipiant uberes allapsus. Valete.

Malaca die Festo Corporis Christi, Anno MDXLIX.

Vester in Christo intimus Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA III.

Joanni Beiræ.

De sociis, et secum in Japoniam, et cum Alfonso in Molucum proficiscentibus. Accuratas ad se et in Europam exigit de laborum fructu litteras et paratam ad omnia voluntatem; formamque præscribit ob recusatam obedientiam e Societate dimittendi.

Gratia et amor Jesu Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

De nostris fratribus varie per Indiam dispersis, et ubique per Dei gratiam in propagando Christi regno non inutilem operam navantibus, itemque de iis qui in Lusitania rem gerunt, quo fructu omnes elaborent,

copiose vos docebunt qui proficiscuntur istuc patres; quæ mihi fiducia lucrifacit non parvum laborem scribendi permulta, commodius otiosiusque per nostros, plena instructos talium notitia, familiari vobis coram sermone referenda.

De me narro tibi, deliberatum mihi ac plane jam certum est navigare in Japoniam; quoniam idoneis auctoribus comperi, optime ad excipiendam, cum spe fructus, evangelicæ doctrinæ promulgationem, dispositas videri gentes illas.

Proficiscimur una sex numero, tres Europæi totidem Japones. Hi et homines in primis probi, et christiani sunt perboni. Christi religionem susceperunt Goæ; litteras nostrates ibidem in collegio *Sanctæ Fidei* cum legere tum etiam scribendo formare didicerunt. Mensem quisque ipsorum integrum asceticis commentationibus impendit, fructu animi maximo; quem quotidianis huc usque nec parvis cumulare augmentis pergunt. Incitantur omnes ad reditum in patriam desiderio ingenti communicandi cognatis et familiaribus thesaurum quem invenerunt; et a vanis superstitionibus abductos populares, Christo, qui lux salusque unica mundi est, conciliandi. Aiunt cogitare illic aliquos e potentibus rerum, destinare legationem ad regem Lusitaniæ, qua Sacerdotes promulgatores legis Christi ad se mitti postulent.

Imus universi magna gestientes fiducia fructus non vulgaris (adjutura pro sua misericordia debiles nostros conatus Dei Domini nostri

omnipotentia) ex hac profectione prodituri. Ego satis jam gnarus quantum in his partibus possit profici; si ultimas in illas appulsus insulas, plus illic merito sperari ex ministeriis nostris operæ pretii clare sensero, evocaturus vos illuc ad me sum, et ad messem uberiorem operarios tracturus: quare comparate animos, et expedite impetum jam nunc, ut nihil vos teneat quominus visis meis in Japonem evocantibus litteris, sine ulla cunctatione pareatis.

Pater Alfonsus ad vos proficiscitur stationem habiturus in arce Molucensi, concionaturusque illic, cum ad Lusitanos eorumque servos et ancillas, tum ad indigenas christianos liberos; explicaturusque quotidie doctrinam christianam, quomodo ego solebam dum istic essem; ac semel quavis hebdomada ad uxores Lusitanorum congregatas, articulos Symboli et Decalogi præcepta declaraturus; traditurusque præterea rationem salubriter frequentandi sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ.

Mihi repetenti memoria quæ istic præsens vidi, opportunum videbatur, P. Alfonsum per annum saltem in arce Ternatensi commorari; quin et, si tibi ex usu præsenti rem æstimanti utile apparebit, per spatium etiam longius: nam huic, ut dexter et gnavus est, plene perfuncto ministeriis ad curam amimarum, nec otium, nec industria, nec gratia videntur defutura, quibus vestra christianorumque, quos variis per istas insulas stationibus excolitis, negotia recte

transigat: providens tempestive ex emporio illo ea quibus egetis; ac quoties usus inciderit, vestris amicorumque vestrorum causis reguli Ternatensis, aut præfecti quæstorisve Lusitani, favorem concilians.

Manuel Morales et Franciscus Gonzalez ad te proficiscuntur, ibi sub tuo imperio futuri. Est quod gaudeas cum hos duos, tum Alfonsum prius memoratum istuc mitti. Sunt enim omnes iis præditi dotibus, e quibus multum sperare auxilii debeas.

Exspecto a te litteras quæ messem uberem a te istic in Ecclesiæ horrea congestam nuntient, et utinam narrarent regis filium jam factum christianum; nam tale aliquid parare illum cognoveram. De Mauri vero insulanis, quid docebunt? num spem ostendi redituros eos ad frugem, et reconciliandos nobis? De vestris quidem Molucensibus scire cupio ecquam ad credendum evangelicæ prædicationi inclinationem aut dispositionem monstrent. E finitimis etiam terris si quid ejus generis lætum ad vos perferetur, eo ne quæso me defraudes: quam me delectaret si rescirem ex te, pandi ostium Evangelio apud Macasarem, Tollem aut Celebes a Christi religione videri non abhorrere! De regulo certe Molucensi ne omittas indicare ut se cum christianis gerit; ecquid et quantum ministris evangelicis et religionis negotio faveat; cuncta ejusmodi diligenter exequere, ex quibus possit statui qua proportione

fructus istic labori respondeat, et an expediat operariorum in istis tractibus numerum submissis augere supplementis.

Fac etiam per te sciant Romæ Pater noster Ignatius, Ulyssipone P. Simon Rodericus, quot apud vos ex idololatria conversi ad Christum sint, quantum neophyti profecerint, quam in persecutionibus constantiam ostendant, quanta concionum et sacramentorum frequentia, quo quæstu animarum, quave assiduitate ac contentione sacerdotes sacris ministeriis insistant, tum cætera ejus formæ, quibus illic vulgatis ad Deum laudandum provocentur qui audiunt.

Sed ad eam scriptionem et delectus adhibeatur rerum, omittendis quæ suggillatione aliquorum aut alia ingrata mentione queant offendere, et tota styli ratio ad ecclesiasticam gravitatem prudenter accommodetur; ut tales ejusmodi narrationes sint, quæ simul ac perlatæ in Europam fuerint, spargi per manus, et publicis editionibus communicari etiam exteris possint. Nolo enim te fugiat expeti commentarios illic tales ex tam longinquis partibus, et cupide per Hispaniam, Italiam alibique legi, quo magis convenit peculiari a nobis accuratione ac cautione hæc quæ illuc mittimus conscribi, ut quæ in manus non amicorum solum, sed parum etiam æquorum, interdum et invidorum infensorumque ventura sunt, omnibus, si fieri potest, satisfaciant, omnes ad Deo et Ecclesiæ sanctæ gratulandum provocent, certe nemini offen-

sionis aut sinistræ interpretationis ansam præbeant legitimam. Simili quoque argumento des velim encyclicas ad cunctos Fratres nostros per Indiam, quæ illos impertiant faustis nuntiis rerum apud vos ad Dei gloriam feliciter gestarum.

Cum vero usus inciderit postulandi aliquid a domino prætore, aut a domino episcopo, ut id tibi suo interventu conficiat privatis litteris rogabis Antonium Gomezium; a quo etiam quod ad victum vestitumque nostrorum tibi erit necessarium petes: huic quippe mandavi ut vobis ad talia præsto esset, ac vitæ subsidia, quibus vos egere significaretis, per navem Goa Molucum mitti quotannis solitam, recte istuc perferenda omnia curaret.

Postremo me de cunctis quæ circa labores vestros, circa prædicationis evangelicæ successum, circa disciplinam domesticam, progressumque in virtutibus omnium nostrorum, bene aut secus evenient, certiorem facere curabis, epistolis minime perfunctoriis; quas uti et superius præscriptas omnes rite obsignatas et inscriptas mittes Malacam ad Patrem Franciscum Perezium, cui præcepi ut frequentibus in illo celebri emporio navium quoquoversum solventium opportunitatibus diligenter uteretur, ad necessarium gubernationi Societatis inter nos commercium fida litterarum transmissione committendum.

Si quis Sociorum eam volens culpam conscisceret, ob quam ejici e Societate mereretur

(scis autem talem in primis esse præfractam recusationem obedientiæ,) huic, juxta ea quæ tibi anno superiori communicavi a me cum domino episcopo constituta, imperabis in virtute sanctæ obedientiæ sub pœna excommunicationis, ut se quamprimum sistat domino episcopo, ejus deinceps arbitrio gubernandus, quoniam illum de cætero Societas non agnoscet suum. Hoc sic a me decretum tibi injunctum esse clare profitere singulis nostrorum quos istic habes, ut quisque intelligat quo suo periculo peccaturus sit; nec ullus sibi blandiatur, quasi utcumque remittat studium adipiscendæ perfectionis, et in obtemperando tardus ac pervicax sit, nihilo se tamen minus perseveraturum in Societate certum habeat.

Deus nos in sua sancta gloria conjungat, nam in hac quidem vita tam diversi peregrinamur, ut occursuros aliquando invicem haud verisimiliter appareat. Vale.

Malaca XII. Kal. Julias Anno MDXLIX.

Venit in mentem vereri occupationes istic reputanti tuas, ut tibi satis vacet, quas dixi Patri magistro Ignatio et magistro Simoni ac Sociis universis per Indiam, proprieque de vestris necessitatibus Goam, litteras scribere; quare quod nunc occurrit ejus operæ tibi compendium suggero. Habebis, ut dictum est, Ternate Alfonsum nostrum. Ei censeo mitti

jubeas e cunctis per Molucenses insulas stationibus nostrorum, narrationes, utcumque tumultuarias, modo veras et exactas rerum gestarum, quibus exprimatur quæ ministeria nostri sacerdotes, qua contentione, quo fructu animarum exerceant, an et quas, a quibus insectationes patiantur, qua adversus illas constantia, quo victoriæ per divinum auxilium successu, quinam per illas gentes habitus ac dispositiones animorum sint, atque inde quæ spes in posterum.

Ex his ille, ut est non modo prudens sed etiam disertus, idemque stylo ac manu valet, litteras formabit vestro omnium nomine in Europam et Indiam quales illuc mitti expedit; prætereaque vestra domestica negotia partim expediet cum præfecto Ternatensi, partim per Antonium Gomezium Goæ conficiet; unum tibi duntaxat, quem deonerare in alium non potes, reliquum laborem faciens, scribendi ad me (quod plane volo et necesse est) de statu, progressu in spiritu, talentis, virtutibus, aut imperfectionibus singulorum e nostris qui tuo istic ductu militant.

Occisum te fuisse in Maurica hic dicitur, sed sine certo auctore; nec nos vano scilicet rumori credimus, speramusque a Dei Domini nostri favore te in multos adhuc annos ad ejus obsequium vitam propagaturum. Si tamen contra quam opinamur aut volumus, de te quidquam aut factum esset aut fieret, tum

sane nostros omnes qui vel in Molucis jam sunt, vel eo postmodum pervenient, Patri Alfonso parere jubeo, qua de re mandatum hic adjungo rite promulgandum in hæc verba:

« Pater Riberus et Nicolaus, si Joannes de « Beira ex hac vita migrasset, obediant Patri « Alfonso. Manuel de Morales et Francisce « Gonzalez qui estis in Molucis insulis, mando « vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ut si Jo- « annem Beiram mori contigerit, Alfonsum de « Castro Superiorem agnoscatis, eique obtempe- « retis. Si vero, quod potius reor et opto, « Joannes Beira vivat adhuc, ei ut vestro legi- « timo Præposito, ambos vos ad nutum obsequi « volo et jubeo. »

FRANCISCUS.

EPISTOLA IV.

Societati, Romam.

Japonum neophytorum laudes; de confessione et Eucharistia sensus, suorumque popularium salutis studium. Lemures in Japonia crucis signo abacti. Xaverius divinæ fiduciæ plenus timores depellit omnes, summisque vitæ periculis se committit. Bonziorum in cænobiis meditationes, et concionum argumenta.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

SCRIPSI ad vos Januario mense anni superioris, quam uberes animarum fructus ex his locis percipiantur, quantumque vel in Lusitanorum, vel in ethnicorum oppidis propagetur christiana religio; idemque ceteros Socios, qui in hisce locis versantur, pro sua quemque parte facturum arbitror.

Ego ex India Japoniam versus Aprili mense discessi, comitibus duobùs e Societate, altero sacerdote, administro laico altero, ac præterea Japonibus neophytis tribus, qui post jacta fidei fundamenta in collegio *S. Fidei* christianaque mysteria satis percepta, baptismo rite expiati, humanarum divinarumque rerum meditationibus summo studio parique fructu exercuere sese. Nam singulari Dei benignitate adeo ad cœlestis erga se largitatis cognitionem excitati, divinisque virtutibus cumulati sunt, ut merito vos omnes tot tantorumque bonorum, quæ Deus in illos plena, ut dicitur, congessit manu, participes esse cupiamus. Et quoniam apud nos legere et scribere didicerunt, precationes ex scripto recitant sane diligenter.

Percontanti mihi in quo potissimum genere meditationis reperirent sensum gustumque pietatis: In Christi cruciatibus atrocissimaque nece, responderunt. Itaque in hanc lectionem meditationemque præcipue incumbunt. Quamdiu

sunt in spiritualibus exercitationibus versati, tantum inde cœlestis lætitiæ piarumque hausere lacrymarum, ut in multos deinceps menses redundaret. Symboli apostolici capita, causas cur Dei Filius humanitate indutus genus humanum ab interitu vindicarit, ceteraque christianæ religionis mysteria, per otium eis tradidimus. Interrogati a me sæpius quod tandem inter christiana instituta potissimum ducerent, ac maxime salutare, primas semper detulerunt confessionis et Eucharistiæ sacramentis. Et simul illud adjecerunt neminem, sua quidem sententia, rationis compotem fore, qui cognitis christianæ religionis mysteriis ac legibus Christi non amplectatur fidem. Unus ex his Paulus *S. Fidei* nominatur; hunc ego audivi, cum ingemiscens, crebroque suspirans diceret: *O vos miseros Japones! qui pro diis ea colitis, quæ Deus ad usus effecit humanos.* Tum ego: *Quid ita?* inquam. Et ille, *Rogas?* inquit. *An non cæci sunt, qui solem ac lunam famulos christianorum numerant deos? quid enim aliud illa mundi lumina efficiunt, nisi diem noctemque distinguunt? ut videlicet mortales tanto splendore excitati, præpotentem Deum, Patrem luminum, Deique Filium Jesum Christum agnoscant et colant.* His comitibus pridie Kalendas Junias anno post Christum natum MDXLIX. perveni Malacam.

Vix e navi descenderam, cum Lusitanorum mercatorum litteras ex Japonia accepi, ex quibus agnovi principem quemdam Japoniæ virum

fieri velle christianum; itaque legatos ab eo ad prætorem Indiæ missos cum mandatis, ut aliquot nostræ Societatis homines postularent christianæ legis magistros.

In iisdem litteris illud quoque erat scriptum, in quodam Japoniæ oppido mercatores Lusitanos jussu regis in hospitium dæmonibus infestum ac propterea desertum, esse deductos. Ibi cum ignari totius rei Lusitani lacinia retraherentur, et conversi nihil omnino cernerent, attonitos quid tandem id esset requisisse. Nocte autem quadam, cum famulus spectro nescio quo exterritus exclamasset, eo clamore reliquos excitatos arripuisse arma, aliud quippiam esse existimantes: quibus tumultus causam requirentibus respondisse puerum se nocturno spectro perculsum inclamasse. Inde famulum illum complures disposuisse cruces in ædibus, et spectra illa evanuisse. Denique incolas enuntiasse Lusitanis in tectis illis diabolos habitare, et simul quæsisse quo tandem remedio fugarentur; tum respondisse Lusitanos nullum remedium cruce præsentius inveniri. Itaque posteaquam eam domum Lusitani crucibus in vestibulo positis munierint, exemplum incolis secutis, ante domos passim excitas cruces.

Ad hæc nuntiabatur, in Japonia latissimum Evangelio patere campum: gentem enim prudentem esse atque ingeniosam, rationi obtemperantem, discendique percupidam. Quocirca in

spem venio (nisi nostra peccata impediant, quominus nostra Deus opera uti velit,) non paucos ex omni Japonia ad Christi fidem accessuros.

His ego nuntiis etsi vehementer excitatus, tamen, utrum eo me conferrem necne, diu mecum multumque cogitavi. Verum ubi certis indiciis Japonicam profectionem e gloria et voluntate divina esse perspexi, si hoc iter omitterem, næ ego viderer mihi longe ethnicis Japonibus deterior. Humanæ salutis hostis profectionem nostram summa ope impedire conatus est. Cur tantopere a nobis sibi metuat nescio, sed aliquid profecto est. Proficiscentes in Japoniam supellectilem ad Sacrum faciendum necessarium nobiscum deferemus. Proximo anno (nisi Deo secus videbitur) quæcumque illic gesta erunt, faciam ut sciatis.

Simul atque Japoniam attigerimus, certum est nobis regem ipsum Japoniæ recta adire, eique fidenter mandata, quæ a Jesu Christo regum rege habemus, exponere. Imus spei divinæque fiduciæ pleni, confidimusque nos Deo duce de ejus hostibus triumphaturos. Neque vero certamen cum Japoniæ litteratis reformidamus. Quid enim boni nosse potest qui Deum Christumque ejus Filium ignorat? Qui autem nihil spectat aliud, nisi divinam gratiam, Evangelii prædicationem, animorum salutem, quid tandem recuset aut pertimescat? Si enim versabimur non modo in terris barbarorum, verum etiam in dæmonum regno, tamen nulla

neque barbaria, neque dæmonum rabies quicquam nocere nobis poterit, nisi permissu concessuque præpotentis Dei.

Unum omnino timemus, ne Deum ipsum offendamus, cujus offensionem si vitaverimus, exploratam de nostris hostibus victoriam nobis illo propitio pollicemur. Et quoniam Deus ad suum obsequium et peccatorum fugam satis auxilii tribuit omnibus, speramus fore ut pro sua benignitate nobis non deneget. Quippe in eo res vertitur utrum recte utamur divinis beneficiis. Itaque magna nos spes tenet, Ecclesiæ matris nostræ ejusdemque Christi sponsæ, ac speciatim nostræ Societatis ejusque studiosorum preces hoc nobis impetraturas, ut Dei beneficiis uti par est ad divinam gloriam utamur.

Illud nos magnopere delectat, quod Deus nostri itineris consilium ac propositum intuetur, videtque nihil nos spectare aliud, nisi ut animæ ad Dei similitudinem effectæ Conditorem agnoscant suum, eique divinum honorem cultumque tribuant; et simul ut christianæ Religionis fines longe lateque proferantur. Itaque non dubitamus quin itineris conatusque nostri eventus felix lætusque sit futurus. Duo sunt quæ maximam nobis spem afferunt Satanæ impedimenta perrumpendi: præclari consilii conscientia, et providentia divina, cujus nutu non homines modo reguntur, sed etiam dæmones. Satanas quippe, nisi facta a Deo potestate, Jobo quicquam detrimenti inferre non potuit.

Video autem nobis non solum labores plurimos ac maximos, sed etiam perspicua mortis pericula in ipso itinere subeunda. Japonicum iter sane periculosum est, tum ob piratarum ac syrtium multitudinem, tum vero ob magnitudinem tempestatum, quæ tam atroces existunt, ut præclare agatur cum iis qui Japoniam petunt, si tertia quæque duntaxat navis intereat. Ac mihi quidem sæpe venit in mentem vereri, ne nostræ Societatis homines doctrina exculti, si in hæc loca venerint, plenum temeritatis negotium putent, quod videatur tentari Deus tam apertis periculis adeundis, quibus tot depereant naves. Verum ut me collegi, vereri desino, quippe cum Societatis nostræ litteris litteratisque inhabitantem Domini spiritum moderaturum esse confidam. Alioquin litteræ haud paulo plus detrimenti afferrent quam commodi.

Equidem illud semper fere propositum habeo, quod ex optimo parente nostro Ignatio sæpius audivi, nostræ Societatis hominibus omni ope atque opera enitendum esse, ut se ipsi vincant, timoresque depellant omnes qui impedimento esse solent quominus spem omnem reponant in uno Deo. Etsi enim spes et fiducia divina ad Dei arbitrium tribuitur hominibus, plerumque tamen impertitur iis, qui se ipsi omni ratione superare conantur.

Etenim ut multum interest inter eos, qui rebus necessariis instructi Deo confidunt, et eos, qui confisi eodem Christi imitandi studio,

spoliant se rebus etiam necessariis: ita qui spem habent in Deo extra mortis periculum, multum differunt ab iis, qui Dei præsidio freti, divinæ gloriæ causa sponte capitis discrimen subeunt, quod utique vitare possint, si velint. Ego vero sic censeo, qui in perpetuis vitæ periculis unius Dei causa versentur, his brevi vitam acerbam fore sic ut mori expetant, ut cum Deo vivant et regnent semper in cœlo. Hæc enim quæ dicitur vita, nihil est nisi perpetua quædam mors, et exilium a cœlesti felicitate, ad quam procreati natique sumus.

Japones comites mei sic mihi denuntiant fore ut *Bonzii* (hi sunt in Japonia sacrorum antistites) offendantur, si nos viderint carne aut piscibus vesci. Proinde nobis fixum ac decretum est citius perpetuam inediam perpeti, quam cujusquam incurrere offensionem. Iidem magnam in Japonia bonziorum multitudinem esse narrant, eorumque maximam apud omnes ordines auctoritatem. Quod ego idcirco adjeci, ut intelligatis quantopere vestra Societatisque universæ deprecatione egeamus, quibus tales adversarii sint parati.

Malaca solvemus ipso S. Joannis Baptistæ natali die. Sinas ita prætervehemur, ut nusquam portum terramve capiamus. Absunt Sinæ a Japonia millia passuum ad sexcenta. Confirmat gubernator navis nos Augusto fere medio in Japoniam perventuros. Illinc de terræ conditionibus, de gentis ingeniis, moribus,

institutis, de erroribus in quibus versantur, de litterarum monumentis quibus utuntur, de disciplinis atque exercitationibus quæ in gymnasiis vigent, ad vos quam accuratissime scribam.

Interim illud me valde delectat, quod ex Paulo *S. Fidei* nostro comite accepi, in ejus patria cœnobium esse sane frequens bonziorum, qui certis meditationibus exerceantur. Quippe cœnobii præses (is doctrina cæteris præstat) domesticis omnibus unum in locum convocatis, ad eos quasi concionem habet; tum certam cuique per horam commentandi materiam proponit. Exempli causa: cum extremo jam spiritu mors vocem intercludit, si tum animæ ex corpore discedenti loquendi facultas detur, quibus tandem verbis in illo digressu corpus alloquatur suum? Itemque si quis existat ab inferis revocatus in vita, quidnam ceteris videatur esse dicturus? Exacto deinde meditandi spatio, rationem meditationis reposcit a singulis; quem boni quippiam proferre videt, collaudat, quem secus, objurgat. Eosdem bonzios ait quintodecimo quoque die sermonem ad populum habere, frequenti sane ac secunda concione. Namque inter dicendum atrocissimos inferorum cruciatus in tabula depictos ostentare, horrendaque illa specie fanum cum populi universi, tum vero mulierum plangore ac lamentatione compleri.

Hæc, ut dixi, Paulus mihi narravit; qui rogatus ecquam ex concionibus illis sententiam

memoria teneret, hanc unam respondit, improbum hominem esse diabolo ipso capitaliorem, quod ille complura scelera, ut furtum, perjurium, et alia ejusdem modi per conosceleratos viros ac feminas committat, quæ per se non posset. Idem mihi confirmavit gentem universam esse sciendi avidissimam uberius.

Deus nos in cœlesti patria jungat; nam in hujus vitæ exilio an unquam nos revisuri simus ignoro. Verumtamen ea vis est obedientiæ, ut facile ea quoque efficiat quæ perdifficilia videantur.

X. Kalendas Julias MDXLIX. Malaca.

EPISTOLA V.

Patribus et Fratribus Collegii Conimbricensis.

Eadem fere quæ in præcedenti, aliquanto uberius, præsertim de gratia Dei sufficienti, et animi constantia in periculis.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Et scripsi ego vobis fuse mense Januario superiori; et cunctos in his tractibus varie sparsos, e stationibus quemque propriis,

prout singulis mandaveram, scripsisse confido quam uberes et lætos animarum fructus Indica ferat vinea; et non in regiis modo præsidiis, verum etiam in reliquis oppidis barbarorum, sanctissima Christi fides quam feliciter adolescat.

Japonicæ in Malacensi portu navigationis capessendæ gratia profectus huc sum ex India mense Aprili, duobus e Societate nostra comitibus, altero sacerdote, altero laico, itemque Japoniis neophytis tribus, quos prius satis instructos fundamentali mysteriorum Christi Domini nostri ac fidei catholicæ notitia, sacro antea lavacro tingendos Goæ curaveram. Imbuti sunt elementis christianæ doctrinæ in nostro collegio *Sanctæ Fidei*, ubi et legere nostrates litteras et manu formare didicerunt. Exercitiis quin etiam spiritualibus dederunt menstruam operam, attentione summa, studioque maximo ex illis proficiendi. Nec Deus defuit bonæ ipsorum, quam præparaverat, voluntati; quippe intimis mentes eorum affecit sensibus beneficiorum ingentium, quæ se a liberalissimo sui Creatore accepisse tum primum grate recolebant, damnantes lugentesque priorem suam in iis agnoscendis cæcitatem: unde in tales exardescebant mutuæ in Deum caritatis, religionis, virtutumque similium affectus, qualibus omnes nos qui cum ipsis agebamus, si pariter afficeremur, præclare nobiscum agi putaremus.

Nunc legendi ac scribendi more nostro pe-

ritia quam pararunt expedite utuntur cognoscendis plerumque scriptis mysteria Christi declarantibus, et psalmis ac cæteris ecclesiasticis precationibus stata quot diebus hora e sacro libro recitandis. Quod agentes cum interrogassem aliquando, quam istiusmodi voluminum partem majore animi gustu e charta oculis subjecta pronuntiarent, responderunt: Historiam tormentorum et necis Christi. Et fidem dicti facit quod eos vidimus non solum omnia teneræ commiserationis signa edere ad quamvis forte oblatam Domini Jesu dolorum ac mortis mentionem aut recordationem, sed ultro etiam eo animum referre subindeque recurrere, et ea consideratione nunquam non commoveri vehementer. Tempore illius menstrui, de quo dixi, Goæ secessus, miris illos cœlestium suavitatum perfundi gaudiis, et in dulces sæpe lacrymas resolvi videbamus.

Ante porro quam in ea commentationum asceticarum palæstra exercerentur, pluribus illos mensibus tenueramus in memoriæ mandandis articulis christianæ fidei, mysteriis vitæ Christi, causa incarnationis Filii Dei in utero Mariæ Virginis, ac tota ratione reparationis humani generis, Domini Jesu morte sponte suscepta perpetratæ, mente comprehendenda. Sæpius ex eis percontatus sum, quænam ex omnibus legis christianæ sacramentis usu ipsis salubriora viderentur? Constanter responderunt palmam præstantiæ, ob causam utilitatis et universalitatis

ad omnes conditionum ac temporum opportunitates extensarum, se duobus maxime tribuere mysteriis, sacramentalis Pœnitentiæ et perceptionis Christi Corporis in sacra Eucharistia. Addebant tam apte sibi videri cohærere inter sese cuncta religionis christianæ dogmata universamque disciplinam, ut neminem sani judicii putarent, postquam ea cognovisset, posse non probare.

Audivi unum ex ipsis, cui nomen est Paulo *a Sancta Fide*, cum alte suspirans exclamaret: O vos infelices Japoniæ populos, qui creaturas adoratis quas Deus, ut vobis servirent, fecit! Tum ego illi: Quid ita, inquam, Paule, istuc loqueris? Ille ad me: Misereor nempe, reposuit, populares meos, qui soli ac lunæ divinos honores habent, cum ista hæc sidera ministri sint agnoscentium Dominum Jesum, jussu ejus diu noctuque lucem hominibus præferentia, qua illi scilicet utantur ad gloriam intelligendam Jesu Christi Dei Filii.

Sed ut ad iter nostrum revertamur, pervenimus in hanc civitatem Malacensem tres e Societate, cum Japonibus totidem, pridie Kal. Junias hujus anni MDXLIX. Occurrerunt exscendentibus consentientia dicta plurimorum, mira certatim de spe optima successum habituræ in Japonia prædicationis evangelicæ nuntiantium e litteris quas monstrabant, ab amicis Lusitanis mercatoribus illic negotiantibus novissime acceptas. Horum in unis legebatur dy-

nastam quemdam in illis Japonum insulis sane opulentum ac potentem, cupere christianum fieri, jamque destinasse ad prætorem Indiæ legatum, qui nomine suo ab illo peteret mitti ad se doctores christianæ religionis, a quibus ad fidem erudiretur.

In aliis ad me proprie datis scriptum reperi: Lusitanis aliquot negotiatoribus recens appulsis in certam Japoniæ regionem, et hospitium ubi diversarentur quærentibus, loci regulum obtulisse quasdam ædes idcirco habitatoribus vacuas, quod esset experientia compertum eas a lemuribus infestari solere vehementer. Ingressos eo Lusitanos, ignaros ejus vitii (nam id Japones astute dissimulaverant), mirari per noctes aliquot solitos, sibi decumbentibus vestes et lectulorum pallia detrahi, nemine dum circumspicerent apparente. Tandem aliquem ex ipsorum familia puerum nocte intempesta viso spectri horrendi consternatum, voce maxima paris perturbationis indice cunctos excitasse; ita ut ex stratis exsilientes, cum armis ad vociferantem accurrerent, quasi vim nocturnam a furibus illatam repulsuri. Sed cum obseratas fores, incolumem ac solum reperissent famulum, ex eo percontatos cur exclamasset, audiisse nihil aliud, nisi visum sibi terrificum oblatum, quod tamen ad Crucis signum a se formatum evanuisset. Hinc deinde idem puer multas Crucis formas variis per ædes locis, et ad ostia conclavium apposuit.

Explorabant interim conscii rei vicini ut se in infesta domo advenæ hospites haberent; et videlicet mirabantur tandiu eos illic innoxie degere. Itaque nocturno illo pueri clamore ac strepitu accurrentium cum armis forte audito, postridie quærebant quam ob causam ea nocte trepidassent? Lusitanis vero rem uti contigerat referentibus, fassos ultro Japones ædes illas pridem haberi malo quopiam dæmone insessas; etiam rogasse, quoniam hæc pestis frequens esset in illis tractibus, ut si quid contra eam parati remedii afferrent, indicare aut communicare ne gravarentur. Ad quæ Lusitanis reponentibus nihil esse signo Crucis ad maleficos abigendos dæmones efficacius, mox tum experimenti, tum responsi fama passim late didita, Cruces e charta, ligno, aut simili materia formatas in fere cunctarum ejus oppidi domuum ostiis esse conspectas: videlicet indigenis, larvarum stygiarum incursus sæpe pati molestissimos solitis, ostensum contra illas amuletum cupide usurpantibus.

His adjungebant eædem inscriptæ mihi litteræ videri optime dispositam excipiendæ prædicationi evangelicæ gentem illam; quoniam circumspecta sit et prudens, e momentis rationum res æstimans, eademque in primis curiosa cognoscendi quidquid affertur novi. Quocirca magnam equidem, divino fretus auxilio, spem ingredior fructus ingentis in aliquibus et forte in universis exituri Japonibus; magna vi erran-

tium illarum animarum ad Ecclesiæ sanctæ se gremium aggregatura; nisi nostra peccata obstiterint quominus Deus Dominus noster nobis suæ gloriæ ministris uti dignetur. Neque his tamen ego tam lætis auspiciis in hanc expeditionem vocantibus statim parui: multum exinde diuque deliberavi mecum explorans, omnibusque vestigiis indagans divinæ circa id signa voluntatis.

Postquam autem intimis animi liquido percepi sensibus plane Deo cordi esse, et ad ejus obsequium expedire proficisci me in Japoniam, totus statim in id consilium incubui tam irrevocabiliter, ut mihi viderer, si a cœpto desisterem, ipsis quoque idololatris Japonibus nequior ac detestabilior futurus. Et me in proposito confirmat, quod hostem humani generis multa movere video ut me ab hac cogitatione dimoveat; ex quo non obscure scilicet illum apparet magnam inde rebus suis cladem perniciemque formidare. Sed quidquid ille tumultuetur ac contra objiciat, imus tamen inanium securi terriculorum, jamque stamus in procinctu solvendi, convasato instrumento incruenti Sacrificii, quo litanda primum illic sacra Hostia, Christi Regis nostri nomine terrarum ac gentium illarum quasi possessionem adeamus. Qui primi successus cœpto responderint, anno vertente (si Deus dederit) meis inde perlatis ad vos litteris plene cognoscetis.

Constitui jam nunc a primo statim appulsu

regem ipsum totius Japonis, ubicumque fuerit, adire, exponereque ipsi quæ mandata ad ipsum habeam summi gentium omnium imperatoris Domini nostri Jesu Christi. Audio in comitatu regis illius magnam semper adesse litteratorum manum, ingenti subnixorum ingenii, doctrinæ facundiæque fiducia. Horum obstituram nobis eruditionem Deo fretus non sane reformido, nam quid boni scire possunt qui Jesum nesciunt? Qui vero nihil omnino aliud nisi Dei gloriam et Christi manifestationem in salutem animarum curamus aut quærimus, quid tandem damni aut periculi magnopere pertimescere debemus? Utcumque nos nudos et inermes, inter infestas non gentis modo feræ, sed dæmonum etiam irritatissimorum acies, et tegere ne lædamur, et adjuvare ut vincamus, Deo si voluerit est facile: sin ei aliud placeat, nihil quod ipsi libuerit ducimus acerbum.

In his bellis, etiam cadens victor est, si occumbente duntaxat corpore, non succumbat animus: una plane, quæ per consensum in culpam accipitur, pertimescenda plaga mentis est. Sed cum Deus Dominus noster det omnibus gratiam sufficientem ad sibi serviendum abstinendumque a peccato, confidimus de divina ejus misericordia tale haudquaquam nobis ab eo auxilium negandum; ac quia totum bonum aut malum nostrum in bene aut male utendo Dei gratia situm est, multam collocamus fiduciam, primum in meritis sanctæ matris Eccle-

siæ sponsæ Jesu Christi Domini nostri, deinde peculiariter in meritis omnium qui in Jesu Societate censentur, ac universorum utriusque sexus, quotquot iis suadentibus aut dirigentibus Deo serviunt: ita ut horum simul omnium amplectente nos patrocinio, suffragiisque apud Dominum juvantibus, speremus nos fideli cooperatione bene usuros offerenda nobis in tempore Dei Domini gratia.

Ingenti solatio nobis est quod Deum scimus, intimorum cordis humani sensuum arbitrum, clare perspicere quid cupientes, quid spectantes, quo voto, aut cujus rei desiderio ad iter hoc Japoniense moveamur. Cum enim nobis simus conscii nihil plane nos aliud ista expeditione sequi aut captare, nisi ut animas hominum ad imaginem Dei creatas ad sui Conditoris agnitionem perducamus; utque supremus Auctor rerum omnium a creaturis, quas in similitudinem suam condidit, prout dignus est laudetur; postremo, ut imperii sanctæ matris Ecclesiæ sponsæ Jesu Christi limites promoveantur et spatia laxentur: imus alacri vigentes fiducia, et velut accepto spei pignore, certa exspectatione præsumere audemus omnino successuram in lætos exitus hanc Japoniensem peregrinationem nostram. Adversus porro minas omnes apparatusque diaboli, haud dubiis jam quasi clarigationibus bellum acre quo nos hoc cursu dejiciat denuntiantis, duo quædam me sustentant. Prius, certa ut modo dixi persuasio

perspectissimæ Deo rectitudinis mearum in hoc itinere cogitationum. Alterum, indubitatissima notitia absolutissimi dominii divinæ voluntatis in res creatas universas, ita ut nulla earum quidquam agere, nisi Deo permittente, queat: qua lege teneri dæmones ipsos, nec quantumlibet cupiant posse nocere cuiquam, nisi licentia sæviendi a Deo impetrata, in Jobi cernitur historia, cui viro sacræ Litteræ testantur, hostem licet immanissimum diabolum, ne minimum quidem sine Dei nutu atque arbitrio incommodare potuisse.

Hæc eo dissero quod exploratissimum habetur hunc, quem mox tentare constituimus, Malaca in Japoniam trajectum præsentissimis diræ mortis esse periculis obnoxium, ob sævam vim atrocium procellarum et inobservabiles insidias latentium scopulorum ac syrtium; denique ob feros incursus infestantium illud mare piratarum: quæ discrimina quam non ex vano timeantur, exemplis naufragiorum et servitutum, pro experiri cursum istum audentium numero increbescentibus, perspicitur; ut jam tertiam quamque e solventibus ex hoc aut finitimo quopiam portu versus Japonem navibus, aliquo e tribus memoratis exitio absumi, pro re usu comperta nec fere humanitus evitabili vulgo celebretur.

Hæc sæpe mihi reputanti veniebat in mentem vereri, ne plerique Societatis nostræ pleni litterarum homines, ubi has in partes ad evangelizandum missi, præsens in experimentum ve-

nerint gravium laborum ancipitiumque discriminum capitis ac vitæ, qualium aleam fere quotidie jacere negotii quod tractamus, et rerum ut hic se habent conditio subigit, religione quadam animi tangantur, quasi temeritatis in hoc culpa consciscatur, et quod sacræ Litteræ vituperant Deus quodammodo tentetur. Sed postquam de re tota cogitavi otiosius, facile me revoco, deponoque metum istum omnem; confidens a paterna Dei Domini nostri erga Societatem providentia suaviter procuratum iri, ut illustria talenta eruditionis et eloquentiæ, quæ isti ad Societatem attulerint, ita nostris disciplinis domesticaque institutione temperentur, ut semper in potestate sint divini Spiritus ipsos uti et cætera membra Societatis animaturi.

Quod ni fieret, multum equidem illis metuerem, nec possem animo conquiescere, objectum continuo mentis oculis circumferens quod a beato Patre nostro Ignatio audiisse me recordor: veros Societatis Jesu filios multum in eo contentionis ponere debere, ut seipsos vincant, modosque exquirere excutiendi a se terrores formidolosarum rerum, qui homines impediunt a constituenda in Deo plena spe ac tota fiducia. Etsi enim viva fides ac spes ejusmodi gratuitum Dei donum est, quod ille quibus est ipsi libitum tribuit; tamen plerumque id illis indulget qui sibi acriter ipsis imperant, nihilque omittunt quo possint consequi plenam affectuum omnium suorum subjectionem, ex

vera caritate, sub divini obsequii gloriæque ratione.

Latum est, mihi credite, discrimen inter eos qui Deo fidunt, instructi tamen cunctis rebus ad victum usumque necessariis, et eos qui idem istud faciunt in summa destitutione et extrema egestate, in quam se ultro Christi causa imitandi conjecerint, vitæ subsidiorum omnium. Ac quod est inde consequens, multum item interest, inter eos qui fidem, spem fiduciamque in Deo collocant extra mortis pericula, et eos qui Deo fidunt et in illo sperant, dum sponte ac volentes, quo ei gratificentur, in discrimina se mortis evidentia objiciunt, horum vitandorum aut adeundorum potestatem et plenum arbitrium habentes. Sane mihi videtur qui sic elegerit in continuis vitæ periculis vivere, ex mero studio Deo serviendi, omni alio respectu aut fine rejecto, brevi tempore sensurus tædium vitæ præsentis, et desiderium mortis, qua cito transferatur ad vitam meliorem et regnet cum Deo in cœlis; quando hæc quam vocamus vita mors potius longa est, et exilium a gloria, qua ut fruamur sumus conditi.

Dicunt mihi Fratres nostri ac socii Japones qui nobiscum in Japoniam proficiscuntur, fore ut offendantur qui sacris illic præsunt, si nos videant carne aut pisce vesci: quare imus certi, quantavis opus fuerit diætæ severitate, talis offensionis occasionem tollere. Aiunt qui illinc veniunt magnam esse ibi multitudinem istius

generis hominum quamdam religiosæ vitæ speciem, ascesi severa, præferentium. Eosdem confirmant auctoritate pollere ad populum maxima, ita ut ex horum nutu pendeant summi juxta infimique, promptis ad omne mandatum obsequiis. Hæc vobis refero, ut ex his pro vestra prudentia æstimetis quantæ nobis quamque vehementes dimicationes in Japonia paratæ sint, et pro vestra caritate contendatis impetrare nobis a communi Domino, quotidianis vestris Sacrificiis et orationibus, auxilium necessarium ad tam acres adversarios vincendos. Equidem sic spero, sustentatum illic iri nos meritis et suffragiis omnium filiorum sanctæ Societatis Jesu.

Die Natali Sancti Joannis Baptistæ hujus anni MDXLIX, aut nocte illum diem præcessura, soluturos nos aiunt. Decretum est cursu recto uti, et per ducentas fere leucas ex alto spectare famosum Sinarum regnum, nusquam exscendendo aut terræ admovendo navem, quoad Japonem tenuerimus: quod nautæ loquuntur fieri posse die decimo aut quinto decimo consequentis mensis. Id ubi, Deo favente, contigerit, exspectate longas meas et plenas litteras, quibus vos certiores faciam de terræ illius situ ac qualitate, de gentium illam colentium natura, indole, moribus, legibus, superstitionibus, erroribus, studiis, academiis, doctrina, ejusque discendæ exercitiis ac tradendæ methodo.

Delectavit me aliquando Paulus noster, narrans de quodam cœnobio suæ patriæ, ubi sodales permulti litteris dant operam. His aiebat præesse seniorem quemdam, excellere sapientia inter omnes visum, qui ad domesticos identidem in unum cœtum coactos verba facit. Tum jubet seorsum unumquemque per spatium horæ unius commentari super præscripto argumento, hoc videlicet aut simili: quid dictura videri posset anima corpori, in extremo suæ ab illo disjunctionis articulo? quid cogitatura, cum jam soluta nexu materiæ, Tartari aut purgantium sub terris ignium (nam harum et hi rerum notitia sunt perfusi quadam) acres cruciatus experitur? Hora talibus considerandis impensa, solere magistrum illum discipulos singillatim percontari quid quisque meditando invenerit; et pro rei merito quam protulerit, laudare plus minusve, vel etiam si parum memorabile prompserit quidpiam, reprehendere. Addebat cœnobitas istos perorare ad populum solitos quintodecimo ferme quoque die, audirique magno concursu virorum ac mulierum, parique attentione ac sensu animi; lacrymari quin etiam inter audiendum plerosque non raro, præsertim feminas, maxime cum, quod sæpe fit, orator pictam ostentat tormentorum inferni tabulam. Hæc Paulus quæ coram spectaverat referens.

Quæsivi ex illo, num recordaretur alicujus sententiæ, quam ex hisce concionibus excepisset? Respondit affirmasse aliquando quemdam

ex istis oratoribus, cui dabat operam: Virum improbum ac mulierem nequam pejores diabolo esse, quoniam quod diabolus per se non posset, per malos viros et feminas ageret, ut in furtis, falsis testimoniis, similibusque sceleribus cernitur, quæ diabolo duntaxat suadente, pravis hominibus exequentibus, fiunt. In eo ferme omnes conveniunt qui de Japonibus quæ viderunt narrant, esse gentem cupidissimam sciendi. Ego quæ me usus et experientia præsens de iis docuerit, copiose vobis disseram.

Deus Dominus noster per suam infinitam misericordiam nos in sua gloria conjungat, nam in hac vita haud sane scio quando aut qua ratione conspectum sperare mutuum possimus. Obedientia tamen id efficere! posset; nam quæ difficillima videntur, facile obedientia quando vult expedit. Valete.

Malaca X. Kal. Julias Anno MDXLIX.

Servus inutilis omnium Fratrum meorum Societatis Jesu.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VI.

PP. Paulo Camerti, et Antonio Gomezio Societatis Jesu, Goam.

P. Franciscum Perezium pudore suffusus mirifice laudat, uti et Oliveiræ industriam et discipulos. De suppetiis Malacam mittendis, de P. Nicolao aliisque sociis juvandis.

Gratia et pax Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

Admiratione huc modo appulsum me perculit majori quam fere queam verbis exprimere, præsens conspectus messis ingentis, quam ex hac civitate Malacensi, velut ex latifundio segetis uberrimæ, Christi horreis infert sudor atque industria unius coloni evangelici Patris Francisci Perezii. Cunctis diebus dominicis ac festis mane concionatur ad Lusitanos in templo urbis maximo; vespere ibidem rudioribus liberis aut servis utriusque sexus articulos sacri Symboli diligenter exponit. Semel per hebdomadam in æde sacra divæ Dominæ nostræ Deiparæ, congregatis magno numero uxoribus tam Lusitanorum quam indigenarum christianorum, orationem habet accommodatam ad earum captum ac statum. Præter hæc diebus omnino singulis, in æde sacra *Sodalium Misericordiæ* tradit atque inculcat laboriosissime

elementa christianæ doctrinæ multitudini permagnæ puerorum. Ultra ista quæ sufficere poterant uni homini abunde occupando, pœnitentium non facile numerabilium confessiones unus excipit.

Ergo hic non deses aut iners in vinea Domini operarius est; utique cujus tam indefessam tamque assiduam videmus contentionem, ut cibi somnique capiendi spatio necessario fraudetur. Spero equidem non auditurum illum a Domino illam e sacra parabola increpationem: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quippe quem nulla fere diei ac noctis hora quisquam inveniat non intentum operi extrahendarum e cœno peccati animarum, et promovendarum ad rite serviendum Deo Domino nostro, qui eas condidit. Ad eum e sacro pulpito dicentem tantus concursus fit, ut concionem templa vastissima non capiant. Idem porro in consuetudine familiari mirabiliter comis atque affabilis, cunctos obvios occursu primo allicit, populo universo summis æque ac infimis singulariter gratus, præfecto juxta civibusque universis in deliciis est, ac propter insatiabile studium lucrandarum Christo animarum, viri passim apostolici ac Deo in primis chari existimatione commendatur.

Fateor vobis, Fratres mei, puduit me mei cum hæc vidi; et subjicientem oculis quantum opimorum spoliorum Ecclesiæ thesauris homo unus imbecillus et continue semilanguidus, Deo juvante, indesinenter adjungat, sensu quodam

verecundiæ me intime confudit propriæ ignaviæ conscientia. Sic enim habetote: tantam assidue vim hominum Francisci Perezii privatis aut publicis sermonibus ad vitam serio emendandam excitari, quanta detinere satis occupatos posset sex ipsos bene exercitatos confessionibus audiendis sacerdotes tota die nihil aliud agentes. Et tamen idem vir super hæc omnia in *Sodalitio Misericordiæ* partes cumulate implet omnes capellani (ut vocant) domestici, quod spissum ac multiplex scitis esse ministerium.

Quid hic dicam, nisi confitear iterum pudore non dubio suffundi me oportere meique similes, qui sani et valentes parum agimus, interim dum infirmi ac valetudinarii tot ereptarum ex orci faucibus præda locupletantur animarum.

Perezii socius, Rocchus de Oliveira, non minus et ipse strenue atque utiliter operam navat. Scholam regit numerosam puerorum, quorum alios legere nostrates litteras ac manu pingere, alios grammaticam latinam docet; idque tam dudum cœpit, ut jam emeriti permulti, percurso doctrinæ cujus sunt capaces orbe, redierint domum, candore morum et rectis omnis generis exemplis demonstrantes, non sine gratulatione parentum ac popularium, quanta sit differentia bene institutæ et incultæ pueritiæ. Legunt illi expedite, ac quantum opus est intelligunt vulgatas summulas doctrinæ christianæ; et preces ecclesiasticas e libro recitant, modestia jam ea quæ spectantes ad Deo lau-

des gratesque reddendas provocet, nam nihilominus vultu habituque compositi incedunt, quam istic novitii Religiosorum Ordinum. Juramentum aut verbum inconditum, ne levissimum quidem et ex iis quibus facilius ignoscitur, ex ore ipsorum quisquam audierit.

Inter alia multa quæ in hoc genere laudabiliter Rocchus noster instituit, hoc valde probatum est, quod sæpe producit in pompam longa serie dispositos per binaria sibi altrinsecus respondentia discipulos suos, demissis oculis, passu gravi et lento, alternis cantantes litanias, aut ejusmodi sacra carmina. Expetuntur vulgo hæ visu gratissimæ supplicationes, cohonestandis præsertim funeribus, quoties hic mori christianum accidit. Feretrum defuncti adultiores ipsorum humeris subeunt, et usque ad sepulturæ locum portant. Nullus non eorum Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, alias aliquot christianarum precum formulas ad unguem callet, ac e memoria quavis occasione reddit inoffense; nullus non Missæ sacrificio (cui quotidie summa reverentia omnes intersunt) decore ministrare novit.

Primo mane ad scholam conveniunt; sub meridiem, post auditam in templo, quam Perezius quot diebus iterat, explicationem doctrinæ christianæ, ludo iterum se reddunt, Oliveræ magistro daturi operam. Audita redditaque lectione, cæterisque perfuncti scholasticis

exercitiis, omnes simul, genibus positis, alta et consona voce precationes sacras pronuntiant. Hæc mihi coram spectanti consolatione incomparabili perfundunt animum.

Orate, quæso vos, Deum ut jam parta conservet, bene cœpta promoveat, principia incrementis cumulet, ad laudem et gloriam sui sancti Nominis, majusque obsequium ipsius divinæ majestatis.

Alfonsus in Molucas proficiscitur, unus ibi facturus quod hic duo jam memorati Perezius et Olivera faciunt. Ægre quidem hinc eum amoveo, quod ut satis ex modo dictis confido vos intelligere, pernecessaria hoc loco fuerat ejus opera. Sed cum prævertendum sit quod magis urget, vos oportet quamprimum supplemento desideratissimo huic opitulari stationi. Ergo huc mittite sine mora sacerdotem e nostris unum causis conscientiæ dijudicandis tritum, qui Franciscum Perezium tot diversis negotiis oppressum, parte saltem oneris audiendarum quotidie confessionum levet.

Non facile alia per Indias Lusitana colonia plus hac urbe Malaca confessariis bonis indiget. Incredibilis quippe undique confluit, occasione varia commercii, multitudo cum Europæorum tum Indorum; quorum illi omnes, hi magno numero christianam profitentes Religionem, opus habent pro humana fragilitate remedio sacramentalis pœnitentiæ, cujus ministros nisi nanciscantur opportune, in maximo et præsentis-

simo versantur salutis animarum æternæ discrimine. Itaque si intra hunc annum millesimum quingentesimum quadragesimum nonum quidam appulerint e Lusitania sacerdotes nostri, facile vobis fuerit quemdam e vestris, cujus istic locum recens appulsi suppleant, anno sequenti quinquagesimo, nave quæ mense Aprili Goa Malacam tendit, huc mittere. Mense, inquam, Aprili; nam etsi scio esse aliam mense Septembri solvere solitam huc Goa navem, nolo tamen hoc tam necessarium in hac urbe supplementum in secundam differri navigationem.

Videte præterea num domi sit aliquis Fratrum nostrorum, utcumque laicus, hactenus tinctus litteris, ut et legere et formas elementorum pingere calamo docere pueros queat. Talem magnopere cuperem ei quem prius designavi sacerdoti huc venturo assignari socium, qui supplere quadamtenus vices posset Rocchi Oliveræ, cui anno sequenti necessarium Goam iter est, sumendo ibi Sacerdotio, quo instructus quamprimum Malacæ se reddat. Quare mandatum hic relinquo solvens in Japoniam, ut anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, navi quæ mense Novembri statum Goam versus solvendi tempus habet, imponatur modo memoratus Rocchus de Olivera, cum Joanne Bravo novitio, quem istic grammaticæ studiis vacare cupio. Igitur omnino volo atque adeo vobis, Pater Paule Camers et Antoni Gomezi, in virtute obedientiæ impero, ut mense Aprili

anni proximi, aut si vis improvisa ineluctabiliter obstaret, quo primum tempore fieri poterit, duos quos dixi, sacerdotem audiendis confessionibus aptum et alium e sociis idoneum scholæ regendæ Malacam destinetis.

Scribo ad Patrem Nicolaum ut præsit invigiletque nostris Meliapore degentibus, iis item qui per oram Comorinensem, quique Colani morantur; ac pariter Comorinensibus mando ut Patri Nicolao obtemperent, ad eumque referant de rebus suis, quoties aut pro se subsidio, aut pro Christianis quos curant favore ac patrocinio opus habuerint, scriptis ad illum Colanum, vel Cocinum litteris (nam ultro citroque per illas urbes negotiorum causa commeat). Eidem porro Patri Nicolao imperavi, ut quæcumque desiderari cognoverit a Comorinensibus, continuo Goa petat. Te vero, Pater Antoni Gomezi, volo quæcumque is poscet statim exequi, commendoque et injungo quam possum enixissime, ne quidquam in eo tibi ad summam diligentiam et officiosissimam caritatem reliqui facias.

Pater Nicolaus subsit Patri Paulo, prout illi præscriptum inde abiens reliquisse memini. Alumni Goenses, sive Lusitani sive indigenæ, arbitrio Patris Antonii Gomezii regantur.

Antonius vero ipse Gomezius, prout mandavi, Patri Paulo Camerti subjectus sit, cui eidem qui Bazaini, quive Armuziæ stationem habent, quatenus jussi et distinctius explicui, obedient.

Ut res istic hoc ordine ac disciplinæ tenore procedant, curare impense vos ambos jubeo, et me de cunctis quæ contingent certiorem facere. Valete.

Malaca X. Kalendas Julias Anno MDXLIX.

Vester in Christo intimus Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VII.

Eisdem.

De nuptiis Christophoro Carvallio conciliandis.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsint semper nobis auxilio et favore. Amen.

Ex quo scripsi vobis satis fuse, causa incidit cur expedire judicarem convenire vos iterum paucis his versibus, unde intelligatis occurrisse hic mihi veterem amicum in paucis carum, nomine Christophorum Carvallium.

Homo est cælebs, virtutis apprime studiosus, locuples, honestus, optimarum artium et partium. Hunc ego, pro studio quod profiteor procurandæ omnium salutis, institi hortari per

nostram amicitiam, perque Dei amorem obsecrare, desineret aliquando tumultuosam et desultoriam vitæ vagæ rationem, periculis frequentibus cum rei familiaris ac capitis, tum, quod longe pluris interest, æternæ salutis gravissimis expositam: quousque semper peregrinus, ubique hospes, nusquam nisi precario diversaretur, nunquam in suo quiesceret? nullum colligendi sui, rationesque componendi conscientiæ vacuum spatium haberet?

Ad ea ille ostendit haud se aspernari benevolum monitum; quin et sibi jam subnasci tædium fassus est infiniti erroris; sat se habitasse in navi, portumque ac stationem tranquilli status cum desiderio respicere; velle denique domicilium alicubi figere, et quæ multa varia nec infelici negotiatione comparasset, colligere sub familiare tectum, ubi opes abunde congestas in eos usus verteret, quos misericordia, religio, gratusque in largitorem Deum animus, denique conveniens deflexæ jam ætati quies et corporis cura poscerent.

Dum hoc sermone proveheremur, opportune recurrit animo memoria bonæ illius matronæ, quam ob maternum in Societatem nostram affectum quotidiana officiorum sedulitate testatissimum, *matrem* vulgo nostram consuevimus vocare. Ergo Carvallio proposui conjugium cum hujus filia. Puellæ bonam indolem, virtutem ac morum honestatem ex vero commemorans, haud surdo cantatum movit hominem pluri-

mum mea laudes ac dotes virginis sine fuco exequentis oratio. Quid multa? Promisit se illam conjugem ducturum; nec dubito quin, pro sua cætera veracitate, jureque amicitiæ quod sancte semper mecum coluit, fidem polliciti facto repræsentet, in re præsertim quam sibi amplam, utilem, honorificam, ad pacem tranquillitatemque vitæ accommodatam plane agnoscit. Itaque non dubitavi totam rem scriptis litteris communicare matri nostræ uti minime dubiam, si ipsa annuerit; quod quin sit factura, atque adeo tam splendidam viri probi et divitis affinitatem in felicitatis parte numeratura, nullus dubito.

Etsi ita ut videtis promotum negotium est, quia tamen multa semper executioni destinatorum interveniunt, facile provideo haud in expedito rem istic futuram, nisi pro virili adnitamini. Oro vos ambo atque obsecro, ut memores prolixi semper in nos animi, quotidianæ liberalitatis, benevolentissimæ charitatis matris nostræ, sic apud vos statuatis hanc vobis divinitus offerri pretiosam occasionem rependendi tot ejus beneficiis unam quidem, sed sui momento instar multarum habituram, grati nostri vicem ac remunerationem officii.

Satagite ergo cum per vos ipsi, tum implorata atque adhibita eodem primarii quæstoris gratia et opera, ne successu tam prosperæ opportunitatis afflicta illa familia frustretur. Efficite, inquam, omni conatu, ut solitudini

honoratissimæ viduæ, orbitati optimæ atque innocentissimæ orphanæ, modo isto quem divina utrique consulens Providentia offert subveniatur.

In adducendo quo erit opus Christophoro Carvallio, non puto multum vobis operæ futurum: novi ejus constantiam et fidem, nec timere possum ne dictum revocet, aut præstare abnuat quod est mihi pollicitus. Quæstori ut in partes attrahatur sufficiet allegare, quod vere potestis, dignum esse negotium in quo perficiendo auctoritatem experiatur suam, quippe quod ante omnia Dei Domini nostri ad laudem obsequiumque pertineat; deinde ex quo domus ipsius curæ commendatæ, spectatissimæ feminæ ipsi propinquæ, pupillæ virginis lectissimæ opem ab eo et patrocinium exspectantis, status, salus, quietis ac spei rationes universæ pendeant. Confido equidem adjuturum pro sua bonitate Deum Dominum nostrum, ut cum hæc illi probo et sapienti dicetis homini, persuadeatis facile quod volumus.

Jam quoniam probe scitis habere in manu matrem nostram diploma regium rite consignatum, quo ei conceditur ut quam functionem publicam (officium vulgo dicunt) vir ejus Didacus Froez (cujus anima Dei gloria fruatur) dum viveret exercuit, eam cum suis omnibus emolumentis transferre in eum possit, cui filiam dare conjugem voluerit, et videlicet hoc ipsum in partem dotis imputare: impetrare oportebit a prætore ut id officium assignari alteri permittat,

numerata in ejus pretium pecunia quæ ad summam dotis puellæ absolvendam conferatur.

Causa cur id necesse sit hæc est: quia Christophorus Carvallius ea claritate iisque est opibus, ut infra suam dignitatem existimet ea functione implicari, præsertim cum jam illum, ut dixi, tumultuum et tricarum tædeat, otiumque in conjugio, et a præteritis laboribus vacationem captet. Verebar equidem ne hic nodus esset negotii, non defuturis forte istic, qui verbis prout sonant diplomatis hærendum, et pro scripto contra scribentis mentem ac manifestam æquitatem standum contenderent, istaque calumnia regis beneficium intercipere, et orbam virginem cum matre vidua fortunis evertere niterentur.

Ejus generis si quid intervenerit, agite, oro vos, contra incumbite, conamini, omni contentione certate, per vos ipsi, per quæstorem, et si cujus alterius favor ad id suffragatioque futura putetur utilis, ut prætorem, et quorum ea potestas est, regios ministros pertrahatis ad benigne interpretandam regis in hoc privilegio concedendo voluntatem. Quis enim non videt id solum spectasse majestatem ejus, ut filia Froezii ex mercede patri debita proficeret? nec voluisse, si viro eam desponderi contingeret minus apto ad paternam administrandam præfecturam, idcirco pupillam inopem parte magna patrimonii mulctari.

Obtinebitis spero equidem, Deo defensore

viduarum et patre orphanorum adoperante, causam æquissimam; quam ita vos capessere tantaque urgere instantia cupio, ut non putem sine flagitio et turpi labe ingrati animi, quæ in Societatem universam fœde redundaret, vos posse in hoc tanto matris nostræ negotio quidquam industriæ ac diligentiæ omittere, quoad istas Deo probatas confici nuptias, et per has matronæ de nobis insigniter meritæ, virginisque modestissimæ statui, securitati, dignitati optime consuli, perruptis quibuscumque obstaculis, evincatis.

Facili et morigero ad omnia, quæ in rem opus erunt, utemini Carvallio; nam is præterquam, ut dixi, mihi promisit et est fidei vir integerrimæ, etiam satis indicavit plurimi se facere affinitatem istam, atque adeo magnam spem cæteræ quietis, per quantum vitæ ipsi superest desideratissimæ tranquillitatis, in isto matrimonio constituere.

Satis, opinor, vobis et declaravi, et ni fallor, approbavi votum hoc meum; cujus me factum per vos compotem si vestris litteris cognovero, lætissimo me impertitum a vobis nuntio, et magno affectum beneficio putabo.

Deus nos in sua gloria conjungat, nam utrum in hac iterum vita visuri mutuo simus, in ambiguo nunc quidem est. Valete.

Malaca, Pervigilio Natalis Sancti Joannis Baptistæ, Anno MDXLIX.

Vester in Christo Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VIII.

Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Duartis Barreti regii procuratoris industria et fides; qualesque regum ministros esse oporteat; præfecturam Malacensem non esse Duarti in locum mercedis imputandam.

QUONIAM regiis istinc missis litteris jussisti me, domine, scripto referre ad majestatem tuam de iis qui per hos tractus cum fide ac diligentia commisso a te sibi munere funguntur, sic velim habeas: Duartem Barretum, qui negotia regni tui nuper procuravit Malacæ, nihil in ea functione omisisse quod ab homine gnavo, industrio, fideli exspectari posset. Ita enim prospexit rationibus fisci, ita negotiatoribus favit, jure sine personarum respectu ex æquo dicendo, ita denique in omnibus se gessit, ut ejus iste magistratus honori apud has gentes majestati tuæ fuerit, quippe cum ex hoc specimine judicantes homines vulgo crederent te ministros huc imperii tui tales mittere, quos virtutibus quæ tibi maxime probarentur quibusque ipse abundares, instructissimos scires.

Equidem sic arbitror regum ac principum late imperantium in eo verti gloriam, si, quas ipsi per se administrare non possunt suæ

ditionis partes, iis committant quorum existimari similes honestum ipsis sit; quosque populi cum viderint, cumque fidem, gravitatem, æquitatem ipsorum usu perspexerint, studio amplexi fuerint, expressam effigiem laudum ac decorum principis absentis, in præsentibus ab eo missis ejus vicariis spectare sibi ac tenere videantur.

Horum de numero ac genere optimo ministrorum, qui summam sibi felicitatis ponunt in perfecte obsequendo regi suo, vel imprimis est Duartes Barretus, hoc nomine dignus quem majestas tua re ac dignitate auctum velit, cujusque, ob egregie tibi ac reipublicæ navatam operam, remunerandi quærendas occasiones putes. Ea quæ dixi ut faceret, multum illi laborum exantlandum fuit, multæ (quæ copia hic improborum est) contentiones suscipiendæ, certandaque certamina.

Nec imputari potest in locum idoneæ mercedis pro sedula diligentia tot annorum, præfectura, cujus memini, Malacensis. Primum quia casu quodam factum est ut parum ipsi quæstuosa foret, deinde quia tempus ejus totum explere non potuit; quare hinc pauper discedit. Dignare, domine, ei consulere, utique homini quantamvis a majestate tua gratiam merito.

Adjungat precor Deus Dominus noster multos annos ad vitam florentem et felicem majestatis tuæ, concedatque per suam clementiam tibi, ut in hac vita cognoscas sanctissimam

ejus voluntatem; benigneque suppeditet vires animi abundantes ad ea sensibus, operibus, affectibus agenda, quæ supremo tempore fecisse te gauderes.

Malaca IX. Kal. Julias Anno MDXLIX.

Majestatis tuæ servus inutilis.

FRANCISCUS.

EPISTOLA IX.

Joanni Bravo.

Forma vitæ religiose ducendæ.

Charissime frater.

VELIM te singulis diebus hunc religiosæ vitæ ordinem constantissime tenere. Mane cum primum evigilaveris, accinge te ad meditandum aliquod mysterium vitæ Christi, incipiendo a sancta ejus Nativitate, et sic continua serie procedendo usque ad ejusdem triumphalem in cœlos Ascensum. Argumenta meditationum habes ordine digesta in libro *Exercitiorum Spiritualium.* Per dimidiæ saltem horæ

spatium in hac sacra commentatione versaberis, ea prorsus attentione devotioneque animi, cæterisque observationibus ac formulis quibus te meministi asceticas mensis unius exercitationes obivisse. Procedes diebus singulis ad novam considerationem; ita ut ubi (exempli causa) feria secunda Christi Natalem fueris contemplatus, feria tertia Circumcisionem ejusdem consideres, et ita consequenter, quoad mense vertente universis percursis Domini Jesu actis, ad omnium clausulam gloriosam ipsius Ascensionem pervenias. Hinc porro revolves iterum orbem eumdem a principio, gradum faciendo ab uno mysterio ad aliud contiguum; et sic dies mensis instantis per omnia vestigia prioris trahens.

In fine cujuslibet horum exercitiorum renovabis vota quæ semel emisisti, præsertim tria illa præcipua castitatis, obedientiæ et paupertatis. Ea, inquam, iterum concipies Deoque offeres, instaurando inflammandoque eodem affectu intimo, quo ea primum nuncupasti. Hac iteratione votorum, præter alios fructus, hebetabuntur impetus concupiscentiæ ac stygii hostis ad prava te impellentium; quare nunquam illam omittas censeo.

Post prandium et brevem a meridie quietem, repetes meditationem matutinam, in eaque per spatium horæ dimidiæ idem mysterium expendendo consumes, adjungenda similiter ad finem instauratione votorum. Hoc tibi fixum atque immobile in diurnorum actuum varietate duret sem-

per, nec ulla tanti avocatio vel occupatio sit, quæ te prohibeat solidam quot diebus horam Christi Domini nostri vitæ sanctissimæ pie recolendæ addicere: in quo habebit commoditatem hæc quam institui partitio, ut horæ dimidium ex antemeridiano tempore, tantumdem e pomeridiano in id seponas. Expeditum ad hoc fore præ cæteris videtur id spatium quo, vergente ad vesperam die, Pater quocum degis Franciscus Perez scholam habet catecheticam: tunc tibi vacabit vespertinæ isti orationi attendere.

Noctu antequam sommo te dedas, voca conscientiam ad calculos, inquirens in cogitata, dicta, facta diei totius, explorans quoque num quid omiseris quod debuisset a te fieri. Sic cuncta discutiens quasi mox sacramentali confessione apud sacerdotem purgaturus animum, acrem etiam pœnitentiam perperam actorum aut male prætermissorum, ex causa Dei quem summe diligas offensi concipiens; tum Christum Jesum enixe orans ut ignoscat tibi, emendationemque pollicens. Denique recitato *Pater* et *Ave* sic te compones ad quietem, ut divina cogitanti, diemque posterum transigere sanctius paranti sopor obrepat.

Expergiscens postridie, mente continuo sursum erecta, dum vestes sumes, dum manus ac faciem lavabis, memoria repetitis lucis hesternæ lapsibus, petes a Christo gratiam eos hodie vitandi. Inde meditatione matutina defungaris, uti pridie feceras, atque ad eumdem modum reliqua continenter exequare; in hocque vitæ ordine tam constans

esto, ut nullo alio quam valetudinis impedimento fas tibi putes vel tantulum de illo remittere; ac cujuscumque tandem intervenientis obtentu causæ, sanus modo ac valens, vel distuleris, vel non expleveris præscriptorum quidpiam, religioni ducas, et culpam in Patrum conventu fatearis, pœnam ultro infligi postulans negligentiæ, qua rem tanto tibi opere a tuo moderatore commendatam vel præterieris, vel perfunctorie transmiseris.

De cætero quidquid ages, quocumque tendes, qualicumque in occupatione vel remissione versaberis, acri semper conatu arrectæ mentis vires totas in tui ubique vincendi contentionem exere, cupiditates frange, a quo sensus abhorrebit amplectere; appetitum imprimis innatum laudis et excellentiæ contunde, nihil usquam parcens, quoad superbia radicitus evulsa, infra omnia deprimi te libens sustineas, contemni etiam gaudeas. Ac sic habe, sine ista demissione, sine hoc in pravos animi motus imperio, nec tibi nec aliis te bonum esse, nec Deo placere, nec in Societate Jesu perseverare posse.

Patri cum quo vivis in omnibus obtempera, exequens alacritate summa quidquid, quantumvis molestum operosumve, mandaverit; nunquam illi obstans, aut contra quidquam excipiens qualibet ex causa; plane sic illum semper audiens, sic ad nutum dirigentis te per omnia inflectens, ut si præsens Pater Ignatius eadem juberet. Quibuscumque cujusque generis ac modi tentationibus pulsari te senseris, eas statim ingenuissime uni-

versas moderatori tuo enuncia; unicam eam esse vitandi ne iis succumbas rationem certissime persuasus. Præter quam utilitatem, inest etiam magnus animi quæstus isti perspicuitati fatendi motus arcanos cordis: magna enim et magnæ mercedis pignus afferens, per eam initur a Deo gratia, propter laboriosam plerumque victoriam naturalis pudoris; magna etiam securis infligitur spebus et insidiosis machinationibus hostis tartarei, cujus præcipua nocendi facultas in latendo sita, exarmatur si pertrahitur in lucem, planeque ipse perversis suis optatis excidens, iis ipsis, quos captabat, incolumibus et securis ludibrio est. Vale.

In sacello Sanctæ Mariæ de Monte prope Malacam, nocte quæ diem præcedit Natali Sancti Joannis Baptistæ sacrum An. MDXLIX, mox soluturus versus Japonem.

Tui amans ex animo.

FRANCISCUS.

S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLARUM

LIBER SEPTIMUS.

EPISTOLA I.

Societati, Goam.

Magnis in itinere Japoniensi defunctus laboribus et periculis Cangoximam tenet, ubi plurima de Japonum moribus, cænobiis, academiis, urbibus. Ejusdem cum Bonziis certamina, et incensa ad summam virtutum hortamenta.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

De nostro Malacensi itinere post nostrum ex India discessum, deque rebus Malacæ gestis quamdiu ibi substitimus, pluribus ad vos scripsi Malaca; nunc reliqua accipite.

In Japoniam, divino Numine obsecundante, appulimus mense Augusto (die 15), cum Malaca

solvissemus ipso natali S. Joannis Baptistæ die (sub vesperam). Navigio vecti sumus ethnici mercatoris Sinæ, qui Malacensi præfecto nos in Japoniam transmissurum promiserat; ac Dei beneficio secundis sane ventis usi sumus. Verum (ut in barbaris perfidia dominatur,) navarchus mutato consilio, omittere Japonicæ navigationis cursum cœpit, ac temere in occurrentibus insulis terendi temporis gratia commorari.

Duo erant, quæ nos præter cætera molestissime ferebamus. Primum, quod secundissimo vento divinitus oblato abuteremur; qui si defecisset, nequaquam possemus Japonicum cursum tenere, sed in Sinarum finibus hiemare, et idoneam rursus tempestatem expectare necessario cogeremur. Deinde quod navicularius et nautæ idolo, quod secum navi (ad puppim) vehebant, passim nobis invitis et frustra impedire conantibus, execranda facerent sacra, sortibusque dæmonem identidem consulerent, utrum ex usu esset in Japoniam pergere necne, et simul exquirerent an secunda navigatione cursum tenere possemus: ac sortes (ut ipsi aiebant) modo lætæ, modo tristes edebantur.

Millia passuum trecenta provecti, ad insulam quamdam applicuimus navim, ibique materiam atque armamenta comparavimus adversus atrocissimas Sinici maris tempestates. Inde illi sacrificiis multis superstitiose factis eductisque denuo sortibus, sciscitari ex dæmone utrum ventis secundis usuri essemus. Forte sors exiit, quæ

ventum nobis polliceretur secundissimum (neque ibi diutius hærendum). Itaque nulla interposita mora, sublatis anchoris gratulabundi vela fecimus: illi idolo suo freti, quod in puppi cereis et odoridus ex aquilano ligno incensis summe venerabantur; nos Deo cœli, terrarum marisque moderatori, ac Jesu Christo ejus Filio confisi, cujus religionis propagandæ causa Japoniam petebamus.

In cursu cum essemus, visum est illis rursus ductis sortibus exquirere ex dæmone, num ea navis ex Japonia Malacam incolumis esset reditura: edita sors est in Japoniam quidem eam perventuram, sed nequaquam reversuram esse Malacam. Tum vero illi hærere; demum omisso in præsentia cursu Japonico, apud Sinas hibernare, et Japonicam profectionem in proximum annum differre statuunt. Quid nobis tum animi ac sensus in ea navigatione censetis fuisse, cum de Japonica profectione consuleretur dæmon a suis, et navis gubernator ad ejus nutum atque arbitrium rem totam administraret?

Ergo cum lente proveheremur, ad Cocincinam Sinarum portum duo uno die sane graves nobis casus inciderunt. Nam die S. Mariæ Magdalenæ sacro, sub vesperam, intumescente fluctibus ventisque agitato vehementius mari, cum navis jactis anchoris fluitaret in salo, Emmanuel Sina, unus e nostris comitibus, navis jactatione prolapsus in apertam sentinam præcipitavit. Omnes illum mortuum credidimus, quod et alte ceciderat, et sentina aquæ plena erat; verum Dei

beneficio mortem evasit. A capite obrutus umbilico tenus aliquantisper hæserat in sentina, itaque ægre ac magno labore hominem extraximus graviter in capite vulneratum. Diu exanimis jacuit, sed Dei benignitate demum revocatus est ad salutem.

Sub primam hujus curationem, ecce tibi pari navis jactatione navarchi filia excutitur in mare; cumque propter vim tempestatis frustra ei opitulari conati essemus, in parentis ipsius atque omnium oculis propter navim obruitur fluctibus. Ergo tanti ejulatus ac gemitus diem illum noctemque insequentem tenuerunt, ut species esset admodum flebilis ac miseranda, vel ob mœrorem barbarorum, vel ob nostrum omnium periculum. Inde barbari ad idolum sacrificiis ac cæremoniis placandum versi, diem noctemque totam, nulla quietis parte capta, mactandis avibus apponendisque idolo epulis consumpserunt. Tum navarcho cur filia sua interiisset sortibus percontanti sors editur, si Emmanuel noster in sentina periisset, ejus filiam nequaquam fuisse perituram.

Videtis profecto quanto in periculo versaremur, quorum vita ex diaboli sortibus penderet ejusque satellitum voluntate. Quid tandem nobis futurum fuerit, si Deus acerrimo hosti permisisset ut nos ad suam libidinem acciperet. Tantas ego ac tam apertas injurias Christo Domino execrandis illis sacris fieri cum viderem, neque eas ullo modo possem prohibere, sæpius a Deo precatus sum, ut prius quam tempestate illa interiremus, illos

homines ad suam imaginem procreatos tantis tamque impiis erroribus liberaret; aut si in iisdem versari erroribus sineret, certe communi hosti illarum superstitionum auctori graviores constitueret cruciatus, quoties navarchum ad sortes ducendas atque ad se pro Deo colendum impelleret.

Eo ipso, quo nobis hæc incommoda acciderunt die, ac nocte insequenti, multa Dei beneficio sentire mihi atque experiri contigit de maximis terroribus, quos diabolus facultatem nactus, Dei permissu, timidis expositisque hominibus incutit; itemque de præsidiis, quibus tali in re ac tempore contra hostis impetus sit utendum. Quæ quidem etsi non inutilia sunt cognitu, tamen brevitatis causa prætereo. Summa illa est, certissimumque præsidium, ut contra hostem magno præsentique animo sis, tibi penitus diffidens et fretus Deo; ut videlicet in illo spes omnes ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas ut tali ac tanto defensore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris. Ac mihi persæpe veniebat in mentem, si Deus meo rogatu dæmonis supplicia ac pœnas auxisset, facile illum posse in me odium ac rabiem expromere; sæpius enim mihi minitans denuntiabat venisse tempus ulciscendi doloris sui.

Verum cum nihil ille nocere cuiquam possit, nisi quoad Deus ipse permittat, magis eo tempore Dei diffidentia timenda est quam impetus inimici. Etenim hosti permittit Deus, ut eos sollicitet atque divexet, qui timiditate adducti ne-

quaquam suo Conditori confidunt, neque vires ab eo sumunt ullas, neque suam in eo spem reponunt. Hæc pestis (timiditatem dico) facit ut complures eorum, qui Deo inservire cœperunt, mœstam ac sollicitam vitam degant; quippe cum suave Christi jugum et crucem ferentes, nequaquam fortiter constanterque progrediantur. Atque hoc tantum tam exitiale ac perniciosum malum affert timiditas, ut cum tuæ niti imbecillitati cœperis, ubi majoribus viribus opus esset præsidiisque plane divinis, cadas animo magnis in rebus, quominus bene utaris cœlesti ope quæ te ad bene sperandum vocat.

Audaces vero qui fiducia sui inducti plus æquo suis viribus fidunt, et minora certamina, etsi minime in his se ad victoriam exercuerint, contemnunt, in majoribus periculis atque ærumnis imbecilliores etiam sunt quam timidi. Nam cum minus ex sententia successerint quæ susceperunt, parvis in rebus pariter ac magnis animos contrahunt, atque demittunt. Proinde ita repugnanter ac timide ejusmodi certamina subeunt, ut magnum discrimen adeant salutis aut certe tranquillitatis. Etenim cum suam ipsi infirmitatem non agnoscant, atque idcirco Christi crucem nimis gravem existiment ad perferendum, profecto sollicitam atque acerbam vitam ducant necesse est.

Quid tandem nobis, fratres, in extremo spiritu futurum putamus, nisi ad bene sperandum atque ad Dei fiduciam nos exercuerimus in vita?

Siquidem tum majoribus undique nos cinctos periculis, tentationibus, ærumnis vel animi, vel corporis visuri sumus, quam unquam antea. Quocirca par est eos, qui divini obsequii studio tenentur, parvis in rebus elaborare, seque quam maxime demittere atque exinanire, ut sibi vel minimum fidant, Deo vel plurimum; ut scilicet in magnis tum vitæ tum mortis periculis atque incommodis, in divina bonitate atque misericordia spem habere consuescant. Id adeo consequentur, si, quamvis parvis in rebus a quibus abhorreant sui victores extiterint, summoque christianæ humilitatis studio sibimet penitus diffidentes, ad maximam Dei fiduciam animos erigant suos.

Neque enim imbecillus est qui scienter nititur ope divina. Atque ut multa communis hostis impedimenta perseverantiæ ac perfectioni virtutis objiciat, majus tamen discrimen adeas, si in magnis ærumnis ac discriminibus Dei auxilio diffidas, quam si pericula subeas quæ capitalis hostis opponit. Utinam viri pii objectos terrores ac metus, quibus eos dæmon a divino obsequio deterrere studet, converterent in Dei Conditoris sui metum, si forte destiterint ab incœpto; sibique plane persuaderent longe plus mali futurum, si divini Numinis voluntatem neglexerint, quam si dæmonis impotentiam contempserint! Id si facerent, Deus bone, quam jucundissime viverent, quantum in virtute procederent, cum ipsi usu docti plane sentirent nihil ipsos per se pos-

se, contraque omnia posse adjutore Deo; adversarius autem noster quam fractus ac perturbatus hæreret, cum victum se cerneret ab iis quos non semel ante vicisset!

Sed ut jam ad iter nostrum revertamur, cum maris tempestas remisisset, sublatis anchoris vela fecimus, et lacrymabundi intermissum iter perreximus. Paucis diebus Sinarum portum (Cantonium ipsi appellant) cum tenuissemus, nautæ atque ipse navarchus ibi hiemandum esse censuerunt. Nos illis adversari partim rogando, partim minitando, de eorum perfidia cum præfecto Malacæ ac Lusitanis expostulaturos. Itaque Deus pro sua bonitate eis mentem dedit ut in Cantonis insulis non hærerent, sed sublatis anchoris Cinceum (Tchin-theou) peterent. Quocirca secundo vento, qui nos Dei benignitate perpetuo prosequebatur, provecti, paucis diebus Cinceum alterum Sinarum portum accessimus. Jamque portum subituri erant eo consilio ut ibidem hibernarent, quoniam jam cursus Japonici tempestas pene exacta erat, cum subito navicula ad nos advolat, portum illum prædonibus obsessum esse nuntians, actum fore de nobis si propius accederemus.

Hoc nuntio commotus navarchus, et simul quod cerneret Cinceorum prædonum myoparones non amplius quatuor millia passuum a nobis abesse, ut præsens periculum vitaret, portum illum vitare constituit. Cumque ventus Cantonium portum repetenti adversus, Japoniam petenti secundus

esset, invito navarcho, nautis, ipsoque diabolo, Japonium cursum tenuimus.

Ita ad has regiones tantopere a nobis exoptatas, Deo aspirante, pervenimus ipso die Beatæ Mariæ in cœlum assumptæ sacro, anno MDXLIX. Et quoniam alium portum capere non licuit, Cangoximam (Kagochima), quæ *Pauli S. Fidei* patria est, applicuimus; ibi tum a Pauli cognatis atque affinibus, tum etiam a cæteris oppidanis perbenigne excepti sumus.

De Japonia (quod usu assequi potuimus) ea ad vos perscribemus, quæ ipsi cognovimus. Primum gens ea, quacum versati sumus, nationes omnes nuper inventas probitate præstat; ut barbarorum nationem quæ Japones naturæ bonitate vincat nullam esse omnino putem. Facili est ingenio et minime fraudulento, honoris ac dignitatis mirum in modum avida, quippe honorem rebus omnibus anteponit. Eorum quidem plerique sunt pauperes, sed paupertas nemini dedecori est.

Unum autem est apud eos, quod haud scio an usquam apud christianos factitetur. Nobilibus quamvis egentibus non minor habetur a cæteris honor quam si essent opulenti; neque nobilis quisquam, quamvis pauper et egens, ulla conditione adducitur ut cum plebeio vel ditissimo jungat connubium. Quod eo faciunt, quia descendendo ad plebeiorum affinitatem existimant se multum dignitatis atque existimationis deperdere; adeo præ dignitate divitias contemnunt.

Iidem sunt inter se perofficiosi; armis mirifice delectantur, in iisque plurimum præsidii ponunt. Omnes summi æque infimique suo quisque gladio ac pugione succincti prodeunt, etiam pueri annorum quaterdenûm. Nullum neque factum neque dictum contumeliosum ferre solent.

Atque ut plebeii magnum honorem habent nobilibus, ita nobiles ipsi regibus ac dynastis inservire ac dicto audientes esse sibi præclarum putant. Idque mihi facere videntur honoris studio magis quam dominorum metu: ne si contra faciant dignitatis aliquid amittant suæ.

Parci sunt ac frugales in cibo, in potu non item. Vinum potant ex oryza expressum, nam his locis vinum præterea nullum est. Ab alea ludoque tamquam a rebus turpissimis abhorrent, quod lusores appetentes sint alieni, et ad furandi studium a studio lucrandi vocentur. Si quando jurant, (quod tamen perraro faciunt,) per solem jurant. Eorum plerique litteras norunt, quod magno adjumento est ad solemnium precationum formulas et religionis nostræ capita facile comprehendenda. Singulas habent uxores. Pauci inter eos fures existunt, idque propter pœnarum quibus furta vindicantur atrocitatem, fures quippe omnes morte mulctantur; itaque nullum furtorum genus non mirifice oderunt.

Sunt ad omnem honestatem mirum in modum propensi, cupidissimique discendi. Sermones de Deo rebusque divinis audiunt avidissime, præsertim cum satis ea quæ dicuntur intelligunt.

Ex omnibus quas vidi gentibus nullam unquam, neque christianorum neque barbarorum, nationem tam a furto alienam vidisse me memini. Animantium specie deos nullos venerantur; plerique priscos quosdam homines colunt, qui (quantum ego cognoscere potui,) veterum philosophorum more vivebant ; plurimi solem, nonnulli lunam colunt. Res naturæ ac rationi congruentes libenter audiunt ; et quanquam ipsi a flagitiis ac sceleribus non vacent, tamen si id quod peccant contra rationem esse ostendas, facile assentiantur et imperio pareant rationis.

Minus impuros magisque naturæ obtemperantes profanos homines reperio, quam sacerdotes quos *bonzios* vocant. Hi nefario libidinis generi usque eo dediti sunt, ut etiam palam id profiteantur. Jamque adeo communis omnium virorum pariter ac mulierum hæc pestis est, ut tam tetri flagitii odium atque horrorem ipsa jam sustulerit consuetudo. In hoc nos nefarium scelus sæpe invehimur; cumque ostendimus quam scelerati sint Deoque invisi, qui tantam impuritatem suscipiant, secundis quidem cæterorum auribus atque animis utimur. Sed bonzii ipsi a nobis admoniti ut a tam fœda libidine sibi temperent, risu ac facetiis objecta elevare conantur; et quamvis graviter objurgentur, quasi callo ad turpitudinem obducto, etiam ad pudorem obduruerunt.

Bonziorum secta quædam est cultu corporis haud sane absimilis cœnobitis nostratibus, ve-

stitu cinerei coloris, barba et capite semper raso, ut tertio aut quarto quoque die radi videantur. Horum est disciplina ac vitæ ratio laxior. Mulierum ejusdem sectæ cœtus sunt, quibuscum illi promiscue vivunt. Itaque apud populum, qui tantam eorum cum mulieribus consuetudinem non probet, vulgo male audiunt. Fama est eas, ubi se gravidas sentiant, partum medicamentis abigere. Ac mihi quidem (quantum ex hoc illorum cœnobio judicare possum,) non injuria videtur multitudo malam de eis opinionem habere. Porro hi bonzii odio quodam dissident ab iis, qui nostratium fere clericorum ornatum usurpant.

Duo sunt quæ hic obstupescam. Unum est, quam nefaria flagitia pro nihilo habeantur: quod quidem majorum vitio accidit, qui hâc ipsi peste corrupti, tam fœdæ libidinis exemplum posteris reliquerunt suis. Et sane consuetudo vitiorum ejusmodi diuturna corrumpit depravatque naturam; sic assidua incuria ac virtutis remissio perfectam vitam sensim labefactat. Alterum est, quod cum bonzii flagitiosius vivant quam cæteri, idque constet inter omnes, tamen tanto apud eos in honore sint. Multi præterea sunt bonziorum errores; sed ne multis vos teneam, ut quisque maxime inter eos sapit, ita errat turpissime.

Sæpe congressus sum cum quibusdam eorum, qui sapientia cæteris præstant, ac præsertim cum eo quem in his locis, cum propter doctrinæ famam et amplitudinem sacerdotii, tum vero

propter affectam ætatem (jam enim est octogenarius) omnes observant atque suspiciunt. Is apud eos instar episcopi est, et *Ninxit (Nenjitsu)*, quod Japoniorum lingua significat *Cor veritatis*, appellatur. Felix plane, si hoc nomen in eum quadraret. Hunc ego in sermonibus quos cum illo plurimos habui, nutantem atque incertum offendi. Utrum animus noster immortalis esset, an simul cum corpore interiret, neque enim sibi constabat; sed tum aiebat, tum negabat. Male metuo ne hujus cæteri similes sint litterati. Incredibile est quam is me unice diligat, vulgoque omnes, tum bonzii tum alii, nostra consuetudine delectantur plurimum.

Illud autem maxime mirantur, nos inde usque e Lusitania in Japoniam (quod iter est leucarum amplius sex millium) contendisse hanc unam ob causam, ut cum eis de rebus ageremus divinis, et Christi fide proposita, æternæ salutis iter errantibus monstraremus. Atque hanc nobis mentem divinitus profecto datam esse prædicant.

Unum est quod scire vos vehementer volo, ut ingentes Deo gratias agatis, hanc insulam ad excipiendum Evangelium satis idoneam ac paratam esse. Ac si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito quin plurimi fierent christiani. Faxit Deus ut eam brevi addiscamus, siquidem jamdudum gustare cœpimus. Quadraginta diebus (favente Deo) tantum profecimus, ut jam decem Præcepta japonice explicemus.

Hæc ego ad vos ob eam maxime causam uberius scribo, ut Deo Domino gratulemini novas aperiri regiones, ubi vestra excurrere possit industria; utque solidis virtutibus ac studio quam plurima pro Christo perferendi vos interim instruatis. Atque illud perpetuo vestris hærere mentibus velim, propensam plenamque humilitatis demissionisque voluntatem, qua te caputque tuum divinæ gloriæ devoveas, gratiorem Deo acceptioremque hostiam esse, quam vel plurima et maxima obsequia sine ejusmodi voluntate.

Vos igitur parati estote; fortassis enim intra biennium plurimos vestrum in Japoniam per litteras evocabo. Proinde meditamini interea ac diligenter colite humilitatem; omnibus in rebus a quibus depravata natura abhorret, vos ipsi vincite; summoque studio elaborate ut divina ope vos ipsos penitus cognoscatis. Nam sui cognitio nutrix est divinæ fiduciæ ac parens christianæ humilitatis. Quippe ex nostri diffidentia Dei fiducia nascitur, quæ vera est atque germana fiducia. Hæc demum vobis ratio intimam illam animi submissionem pariet, quæ quidem cum ubique tum vero in hisce locis, longe magis quam putatis necessaria est. Illud autem vos moneo, ne bona hominum de vobis opinio vos nimium oblectet, nisi forte ut hoc magis vestri vos pudeat. Siquidem inde oritur sui ipsius negligentia, quæ nonnullis interiorem illam animi submissionem quasi per præstigias intervertit arrogantiamque substituit. Itaque multi, cum diu

quantum damni fecerint eos fallat, paulatim etiam studium pietatis animique tranquillitatem amittunt; ac solliciti semper atque anxii, nulla neque intus solatia inveniunt nec foris.

Quare vos oro quæsoque, ut omni vestrarum virium, humanæque sapientiæ et existimationis fiducia abjecta, vestras omnes spes cogitationesque defixas habeatis in uno Deo. Ita demum vos adversus omnia quæ accidere possunt, vel animi, vel corporis incommoda, satis vos armatos paratosque existimabo. Deus quippe humiles erigit ac roborat; eos præsertim qui in rerum etiam humilium atque abjectarum tractatione, tamquam in speculo, infirmitatem intuentur suam, seque ipsos in eisdem egregie vincunt. Hi scilicet vel in maximis laboribus atque ærumnis virtutem constantiamque præstabunt; neque Satanas cum suis administris, neque maris tempestates, neque immanes gentes ac barbaræ, neque res ulla eos *poterit separare a charitate* [1] Christi.

Exploratum enim habent, pro sua Dei fiducia ac spe, nihil omnino sibi nisi ejusdem permissu nocere posse. Cum enim hoc persuasum eis sit res omnes Dei nutu consilioque regi atque gubernari, divino præsidio tecti nihil habent quod metuant, nisi hoc unum ne ipsum offendant Deum. Quod si quando a diabolo, ab hominibus, a rebus aliis, cœlesti Numinis permissu exagitentur atque vexentur, tum sibi persuadent

1. Rom. VIII, 39.

aut virtutem suam exerceri, aut vitia et delicta expiari; ita vel meriti accessionem fieri vel humilitatis. Quare debitas Deo pro tantis beneficiis gratias agunt, ac ne iis qui materiam sibi dant virtutis ac præmiorum ingrati sint, summis precibus pacem eisdem a Deo ac veniam orant. Tales ego vos, Deo bene juvante, confido futuros.

Equidem hominem novi, qui, cum etiam in ipsis periculis omnem in Deo spem ac fiduciam habere consuesset, cœlestibus donis, quæ longum esset percensere, mire cumulatus est. Et quoniam discrimina adita adeundis leviora censenda sunt, venturos in Japoniam per Jesum oro atque obtestor, ut ad summa se comparent, suasque cupiditates, quæ tantum bonum impediunt, frangant ac doment. Attendite vobis, Fratres charissimi! Multi enim nunc apud inferos cruciantur, qui cum suis sermonibus aditum ad cœlestem beatitudinem multis aperuerint, ipsi, quod falsa fallacique sui opinione inflati, germana animi submissione vacarent, ad sempiternas illas pœnas sunt devoluti. Nemo autem omnino est apud inferos eorum, qui, cum hujus vitæ ærumnis afflictarentur, id egerunt ut interiore illa humilitate animum munirent suum.

Mementote semper illam cœlestis Magistri vocem: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* [1] Cavete ne quam vestri fiduciam habeatis, et

1. Matth. XVI, 26.

quod sitis in Societate antiquiores, idcirco recentioribus vos anteponatis. Ego vero lætitiam caperem multo majorem, si (quod exopto) intelligerem antiquissimum quemque Socium sæpissime secum animo reputare quam parvos progressus fecerit, tot annis in Societate consumptis; quantum temporis contriverit, non modo cessando, sed etiam regrediendo, siquidem *in via perfectionis non progredi regredi est.* Nam qui hujusmodi cogitationes suscipiunt, hos profecto suæ inertiæ ac nequitiæ pudet ac piget, sic ut interioris magis quam externæ submissionis stimulis excitati, ad detrimenta sarcienda animos ac vires recipiant. Ita demum exemplo sunt iis quibuscum versantur, tum novitiis, tum cæteris.

Agite igitur, exercete vos omnes assidue hisce meditationibus, quando in Christi Domini nostri castris insignes esse concupiscitis. Ac mihi credite, eorum qui in hæc loca venerint, virtutem satis exploratum iri; utque in cujusque generis virtutibus quærendis diligentissimi fueritis, nihil tamen vobis supervacaneum futurum.

Nec vero hæc eo pertinent ut ostendam difficile atque arduum esse Deo servire, cujus constat jugum leve esse ac suave. Nam si *quæras Deum in veritate,* atque iis quibus ad eum pervenitur itineribus strenue ingrediaris, profecto tantum ex ejus obsequio lætitiæ manare sentias, ut quidquid est in sui victoria acerbitatis atque amaritiei facile mitiget ac leniat. Deus bone,

non intelligunt homines quanta, quam liquida voluptate careant, idcirco quod minus fortiter dæmonis conatibus obsistant; quæ quidem res imbecillas mentes non divinæ bonitatis cognitione solum, sed etiam ærumnosæ hujus vitæ solatiis privat: præsertim cum ejusmodi vita divinæ expers dulcedinis continua mors sit magis quam vita.

Vereor ne quem vestrum dæmon sollicitet, propositis maximis quibusdam præclarisque facinoribus, quæ vos in aliis et locis et occupationibus in obsequium Dei faceretis. Quid ille faceret, si vos opportuniore loco nancisceretur? Nimirum huc spectant illius consilia, ut vos solliciti atque anxii, neque vobis ipsi, neque aliis quibuscum versamini, emolumento sitis. Itaque illud insusurrat: Quid agitis? An non videtis vos in vestris conatibus oleum et operam perdere? Hujusmodi cogitatione eorum, qui se ad Dei obsequium contulerunt, plerique tentantur; cui quidem ut fortiter constanterque resistatis, vos vehementer etiam atque etiam rogo.

Usque eo enim hæc pestis pietati perfectionique virtutis perniciosa est, ut non modo nos ab instituto cursu retardet, verum etiam cum magna animi molestia atque angore deducat. Proinde quisque vestrum, ubicumque est, se primum deinde alios juvare studeat, inducatque in animum nusquam se melius, quam ubi a præposito constitutus sit, operam Deo navare posse. Et simul confidite Deum, ubi tempus fuerit, hanc

iis qui præsunt mentem daturum, ut eo vos potissimum mittant, ubi vester labor fructuosissimus sit futurus. Ita læti atque alacres magnos in virtute progressus facietis, et tempus recte collocabitis, cujus pretium etsi multis ignotum, tamen maximum est, siquidem tam accurate otii ratio est Deo reddenda. Nam anxii homines et ancipites, neque in iis locis ubi esse cupiunt quidquam proficiunt, quod absint ; neque ubi sunt sibi aut aliis prosunt, quod alio cogitent.

Quicumque in isto *S. Fidei* collegio versamini, in vestræ imbecillitatis cognitione diu multumque vos exerceatis censeo, vestraque vitia hominibus qui vos consilio et auxilio juvare queant, (cujusmodi vestri confessarii sunt, aliique domestici satis experti) penitus aperiatis. Nimirum ut istinc emissi, et vos ipsi et alios pro usu et scientia, quam a vitæ præceptoribus habetis, curare possitis. Sic enim habetote novis vos tentationum generibus sollicitatum iri, cum bini aut etiam singuli terra marique vos cinctos videbitis barbarorum aut tempestatum periculis, quæ nunquam ante ne cogitastis quidem. Quod si qui in pravis animi motibus edomandis, versutissimique hostis insidiis cognoscendis non se multum ac diu exercuerint, ipsis cogitandum relinquo, quantum periculi adituri sint cum lacessent mundum, *qui totus positus est in maligno.* [1]

---

1. I Joan. V, 19.

Qui tandem, nisi submissione multum valeant, adversarii petitiones eludent? Illa etiam me cura sollicitat, ne dæmon per suas præstigias *transfigurans se in Angelum lucis,*[1] vestrum aliquem decipiat, et eximiis Dei erga vos meritis, itemque miseriis (e quibus vos in Societatem Filii sui vocatos eripuit,) propositis, in vanam fiduciam ac securitatem inducat, ut expetatis istinc ante tempus emitti, quippe qui ita vobiscum ratiocinemini: Si adhuc Deus tam brevi tam multa ac magna vobis in isto domicilio dedit beneficia, cum primum istinc ad conversionem ethnicorum dimissi eritis, multo et plura et majora eum utique daturum. Qua quidem dæmon cogitatione injecta, facile persuadeat vos istic sedere otiosos.

Verum ista adversarii petitio duobus propulsari modis potest: primum, si vobiscum reputetis complures esse homines facinorosos, qui si abstersa superioris vitæ quasi fuligine, in eadem ubi vos estis schola virtutis divinitus collocarentur, non modo vitæ rationem commutarent, sed etiam vos sedulitate ac virtute, non sine vestro pudore, præcurrerent. Hoc eo dico, ut in animum inducatis (id quod ita est) vos idcirco a gravioribus flagitiis abstinere, quod istic occasiones Deum offendendi desint, fruendi adsint. Nam qui nesciunt unde tantum boni proveniat, quod loci et domesticorum beneficium est, virtuti tribuunt suæ, proinde negligunt ea quæ parva

1. II Cor. XI, 14.

videntur, cum tamen sint per se magna; qui autem ea temere contemnunt, parvi ipsi sunt ac merito contemnendi.

Deinde faciendum est diligenter ut vestras voluntates ac judicia ad vestros præpositos rejiciatis, plane confidentes fore ut Deus pro sua benignitate eam illis injiciat mentem, quæ vestris rationibus conducat maxime. Cavete porro ne importune quidquam ab illis flagitetis; quod nonnulli faciunt, qui usque eo superiores urgent suos, dum quod concupierunt quamvis perniciosum extorqueant; quod si denegatum sit, palam queruntur vitam sibi insuavem et acerbam esse. Neque intelligunt, miseri, acerbitatem illam ac molestiam ex eo nasci et augeri, quod voluntatem suam Deo semel addictam ac devotam neglecto voto intervertere, ac sibi vindicare conentur. Enimvero isti quo magis suis voluntatibus obsequi student, hoc magis anxiis et sollicitis animis vitam vivunt. Itaque non pauci istorum sunt adeo sui juris, voluntatis ac sententiæ, ut nunquam fere sponte pareant superioribus, nisi cum jubentur facere quod volunt.

Cavete per Deum immortalem, ne ex hoc numero sitis. Quare in domesticis rebus, quæ vobis a præpositis imperantur, summo studio exequimini; et divina ope instinctum eludite dæmonis persuadere conantis vos in alio munere plus proficere posse; ne scilicet munus, cui præpositi estis, recte obeatis: quo insidiarum genere

ille etiam eos, qui litteris ac bonis artibus dant operam, petere solet.

Oro vos etiam atque etiam per Christum Jesum, ut in abjectis atque humilibus officiis dæmonem egregie superare nitamini. Ac multo etiam magis elaboretis in tentationibus vestri muneris propulsandis, quam in suscipiendis laboribus corporis, ut imperata faciatis. Neque enim desunt qui extrinsecus suo officio satisfaciant, intrinsecus non item: quod pravos animi motus coercere, et impedimenta a dæmone contra officium injecta ad retardandum virtutis cursum removere minime student. Atque isti fere tristem et sollicitam vitam agentes, nihil in pietate ac virtute progrediuntur. Nemo se ipse fallat: non potest quisquam magnis in rebus excellere, qui non prius excellat in parvis.

Nam cum multi multorum in hoc genere versantur errores, tum præcipue eorum qui id agunt, ut per speciem pietatis ac studii convertendorum animorum, obedientiæ crucem sane levem subterfugiant, ut longe graviorem suscipiant. Neque cogitant, miseri, qui parvo oneri ferendo non sit, multo minus magnum esse laturum. Etenim isti, qui exiguis virtutibus et obsequii viribus magna suscipere negotia gestiunt, ubi se rerum mole sentiunt opprimi, tum vero se stultitiæ damnantes onus abjiciunt. Atque etiam ex iis, qui Conimbrica transmittent in Indiam, vereor ne nonnulli sint, qui simul atque videant se atrocissimis Oceani tempestatibus

periclitari, in Conimbricensi collegio quam in navi esse malint. Itaque fervores quidam virtutis sunt, qui refrigescunt in ipso Indico cursu.

Quod si qui in Indiam ardorem pertulerunt; ubi barbarorum regiones peragrantes cœperint qua ærumnis premi, qua periculis urgeri, profecto, nisi altas in eorum animis radices virtus egerit, facile succumbunt; ac demum ardore illo quem attulerant restincto, qui modo in Lusitania cum essent Indiam adamaverant, in India desiderio tenentur Lusitaniæ. Idem aliquibus vestrum usu venire potest, qui istius domicilii bonis et commodis assueti, nunc magno animi ardore concepto, ad venandas animas emitti gestiunt; at vero ubi in medium certamen, quod tantopere expetunt, ventum erit, et ardor ille refrixerit, fortassis istius collegii desiderium ferre non poterunt. Videtis quo tandem evadant subiti isti et immaturi fructus charitatis? quam periculosi magni conatus sint, nisi conatibus vires respondeant?

Nec vero hæc eo spectat oratio, ut mirificos vestros ad pietatem impetus comprimam, ardoremque animorum a rebus arduis deterream, quo minus eximios vos præbeatis christianæ religionis propagatores, atque illustria virtutis ac sanctitatis exempla posteris relinquatis; sed tantum ut in rebus etiam parvis magni ipsi existere conemini, et ex tentationibus ac certaminibus cum dæmone, quantum in vobis virium sit perspiciatis; omninoque omnem spem, fiduciam,

præsidium in uno Deo collocetis. In quo si constantia a vobis perseverantiaque adhibita erit, non dubito quin submissione ac pietate in singulos dies aucti, maximum barbarorum numerum Christo sitis aggregaturi; idque summa æquitate ac tranquillitate mentis, ubicumque demum terrarum versemini.

Par enim est eos, qui animi sui perturbationes ac morbos norunt curantque diligenter, aliorum quoque vulnera benigne curare, periculisque vel cum capitis sui periculo subvenire. Nam qui suas ipsi pravas affectiones agnoscere et curare student, nullo negotio agnoscunt et curant alienas; et qui Christi Domini nostri cruciatibus permoventur, facile ad eumdem sensum alios permovent. Neque enim video qui fieri possit ut motum ullum alteri adhibeas, nisi idem in te impressus ante sit atque inustus.

Sed ad institutam rerum Japonicarum narrationem, unde digressi sumus, aliquando revertamur. In patria Pauli *S. Fidei*, quem verum nobis germanumque amicum experti sumus, præfectus urbis, cives primarii, cunctaque civitas benigne admodum nos excepit. Novos quippe e Lusitania sacerdotes magna omnes cum admiratione visebant. Haud iniquo animo ferunt Paulum factum esse christianum, sed eum potius suspiciunt; eidemque cum cognati omnes, tum cæteri qui aliqua eum necessitudine attingunt, gratulantur quod Indiam accesserit, easque res

viderit quas indigenarum nemo præter ipsum. Aberat regulus leucas a Cangoxima sex: is, cum ad eum Paulus venisset salutatum, magnopere de hominis reditu est lætatus, magnumque illi honorem habuit; multa etiam de moribus, de virtute, de opibus Lusitanorum sciscitatus. Cui cum Paulus omnia exposuisset, maximopere visus est ejusmodi sermone delectari.

Attulerat secum Paulus egregie pictam in tabula B. Mariæ et pueri Jesu in Matris gremio sedentis imaginem, quam ex India advexeramus. Hanc igitur cum regulus ab illo prolatam aspexisset, obstupuit scilicet, confestimque et ipse positis genibus pie admodum veneratus est, et omnibus qui aderant, idem ut facerent imperavit. Eamdem tabulam deinde reguli mater contemplata, mirificam cepit admiratione mistam voluptatem; paucisque diebus, quibus Cangoximam Paulus reverterat, certum hominem misit sane honestum, qui inde sumendum quoquo modo curaret exemplum; verum cum ejus rei Cangoximæ facultas deesset, negotium confici haud potuit. Eadem mulier per eumdem postulavit a nobis uti sibi christianæ religionis capita litteris consignata traderemus. Itaque Paulus cum in ea re dies aliquot posuisset, multa de christianorum mysteriis atque institutis conscripsit patria lingua.

Illud mihi credite, et simul Deo gratulemini, latissimum vobis campum aperiri, ubi vestra concitata jam pietas excurrat. Nos japonice

si sciremus, jamdudum hanc vastitatem non sine magno animorum fructu coluissemus. Paulus quidem propinquis aliquot et amicis dies noctesque Evangelium sedulo prædicans, conjugem, filiam, cognatosque ac necessarios complures ad Christi fidem adduxit. Neque, ut nunc est, consilium eorum qui christiani fiunt vulgo improbatur. Atque ut Japonii maximam partem litteras sciunt, brevi nostras precationes addiscunt.

Faxit Deus ut ad divinarum explicationem rerum japonicam linguam condiscamus quamprimum: tum demum aliquam christianæ rei navabimus operam; nam nunc quidem inter eos tamquam mutæ quædam statuæ versamur. Multa enim illi de nobis et dicunt et agitant, ad quæ scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari. In præsentia, in linguæ hujus percipiendis elementis repuerascimus; atque utinam imitemur simplicitatem candoremque puerorum! Nos certe infantium similitudinem sequimur, cum in vernacula lingua percipienda, tum vero infantium simplicitate meditanda.

Quare vel hoc nomine Deo plurimum debemus, quod nos in has barbarorum terras deduxit, ubi nos ipsi penitus obliviscamur. Nam cum ethnicis et veræ religionis hostibus omnia teneantur, in quo spem habeamus, ad cujus præsidium confugiamus, præter Deum habemus neminem. Etenim domi nostræ, ubi Christi Domini religio viget, nescio quomodo homines ipsi, ac res creatæ, veluti parentum, patriæ,

peregrinorum amor, amicorum consuetudines, vitæ commoda, morborumque remedia nobis impedimento sunt, quominus spes omnes nostras in uno Deo fixas et locatas habeamus. Hic vero tam procul ab domo, atque inter barbaros, ubi nos omnia præsidia subsidiaque humana deficiunt, una Dei fiducia nitamur necesse est. Hæc tantorum erga nos Dei beneficiorum cogitatio non vulgarem nobis pudorem ac verecundiam affert.

Divinam enim in nos largitatem pene oculis cernimus, ut qui in hæc loca divinæ religionis amplificandæ studio venientes, aliquam a Deo gratiam inire nos arbitraremur, nunc demum plane videamus id ipsum summum Dei esse beneficium. Etenim ille, cum nos perduxit in Japoniam, rerum humanarum amore, quo irretiti minimum in Deo spei habebamus, penitus expedivit, ut toti apti ex ipso penderemus. Vos, quæso, me ad gratias pro tantis meritis divino Numini agendas adjuvate, ne ingrati animi vitium incurram. Enimvero hoc vitium fontes divinæ largitatis avertit, ne dona majora accipiat qui in minoribus fuerit ingratus.

Nec vero de aliis beneficiis quæ divinitus nobis tributa sentimus, vos celandos putamus, ut scilicet una nobiscum illi largitori Deo immortales gratias agatis. Cæteris in locis cibariorum copia cupiditates excitat atque alit adversus frugalitatem ac temperantiam, ex quo vulgo multa graviaque accipiuntur vel animorum

detrimenta vel corporum. Nam intemperantes cum multa et gravia a medicis patiuntur, tum vero vitam suam affligunt aut etiam extinguunt; longeque plus deinde molestiarum ex medicamentis capiunt, quam antea voluptatis ex epulis ceperant. Ex his porro molestiis in cruciatus delabuntur haud paulo acerbiores; vitam enim suam sæpe medicis credere coguntur, qui vix demum post multos errores et inanes curationes morbis faciunt medicinam.

Itaque magnum Dei beneficium duco quod nos in loca ab his deliciis vacua abduxit, ubi, ut maxime velimus, corpori indulgere non possumus. Etenim hic altiles aves nec mactare nec comesse solent, vulgo oleribus et oryza victitant; triticum, pisces, poma, cæterique arborum fructus in deliciis numerantur. Ergo plerique temperantiæ beneficio prospera admodum utuntur valetudine, senes passim cernuntur plurimi: ut vel hinc facile appareat naturam nostram, quæ cæteroquin insaturabilis videatur, paucis esse contentam. Nos hic corpore optime valemus, utinam æque animo valeamus.

Est quiddam præterea quod vobiscum communicare pæne cogimur: videtur enim Deus magnum nobis ostentare beneficium, ad quod impetrandum vestris nos precibus ac sacrificiis juvetis velim. Japonii magna ex parte bonzii sunt, qui valde observantur a populo, etsi eorum flagitia minime obscura. Causa cur in tanto honore habeantur singularis quædam ciborum

abstinentia videtur esse, quippe suis legibus carne, pisce, vino prorsus abstinent; oleribus tantum, pomis, oryza vivunt, sic ut semel duntaxat in die cibum capiant.

Bonzii, ut dixi, plurimi sunt, eorumque cœnobia parum a vectigalibus instructa. Verum propter eximiam illam frugalitatem, et simul quod ii præsertim, qui clericorum utuntur ornatu, a mulierum consuetudine (capitalis enim ea noxa est) longe refugiunt, et historias quasdam aut fabulas potius suarum religionum diligenter exponunt, magnam apud Japonios venerationem habent. Itaque cum pravis horum opinionibus atque erroribus christiana veritas vel maxime adversetur, periculum est ne ubi primum cœperimus Evangelium prædicare eorumque commenta coarguere, infensis animis in nos impetum faciant universi.

Nimirum illud unum propositum est nobis, ut Japonios ad Christi Domini notitiam fidemque perducamus; idque ejusdem ope cui operam navamus nos effecturos confidimus. Atque a multitudine quidem ipsa nihil nobis periculi videtur esse, nisi forte illa in nos a bonziis concitetur. Nos vero neque ulla cum bonziis certamina temere suscipiemus, neque tamen divinæ gloriæ deerimus et animorum saluti; exploratum quippe habemus illos nobis nisi Dei permissu nocere non posse. Quod si accidat ut in tam pia honestaque causa vitam ponamus, næ nos in maximis id Dei beneficiis numerabimus; ipsis

etiam gratiam habebimus, qui continuæ hujus mortis finem initiumque beatæ ac sempiternæ vitæ nobis attulerint. Certum est nullis eorum minis aut terroribus a pronuntianda veritate desistere. Si quidem Deus vitam nostram aliena animi salute posteriorem habere nos jubet, fixum est divino præcepto parere, Deo utique ipso bene juvante, et animos viresque suppeditante, ut Japonios a tantis superstitionum tenebris in Evangelii lucem evocemus.

Magna in spe sum divinam nobis opem in tali re non defuturam: quippe cum nostris diffisi viribus, spem omnem in Christi Domini vi ac potestate summa, sanctissimæque ejus Parentis, Angelorum omnium, ac præsertim Michaelis Archangeli Præsidis Ecclesiæ militantis patrocinio defixerimus. Multum etiam spei in eo Archangelo ponimus, cujus in clientela tutelaque Japonia est; eique nos, itemque reliquis Angelis hominum custodibus nostrum negotium quotidie nominatim commendamus, uti non desinant pro Japonum clientum suorum conversione ac salute Deum deprecari. Atque etiam Beatorum omnium auxilium imploramus assidue; in tanta animorum calamitate, ac pro tot Dei imaginum conservatione, earum Conditori tot talesque deprecatores allegando supplicamus; nec dubitamus quin quidquid in hac ipsa cœlestium imploratione a nobis per incuriam ac negligentiam delinquitur, a beatis illis Sociis nostris compensetur, qui nostra qualiacumque

studia gratificandi Deo sanctissimæ Trinitati studiosissime cupidissimeque offerunt.

Hisce nos tot tantisque præsidiis haud paulo magis excitamur ad spem victoriæ, quam dæmonum insidiis ac minis quamvis multis ac magnis ab hac dimicatione deterremur. Nimirum stultissime faceremus, si nostra vi ac sapientia niteremur. Sed Deus pro sua providentia tantos terrores, ærumnas, pericula ab hostibus opponi eo videlicet sinit, ut nostros spiritus frangat, animos demittat, nosque ad submissionem animi humilitatemque erudiat; ne quid unquam in posterum nostro consilio sed divino plane præsidio confidamus. Qua quidem ille in re et suam benignitatem et nostri memoriam facile declarat; nostros enim animos interioribus præceptis docet quam nihil per nos ipsi valeamus, cum patitur animos nostros parvis sæpe incommodis ac periculis sollicitari, ne nobis ipsi fidentes optimi parentis negligamus auxilium. Nam si qui sui fiducia quidpiam aggrediuntur, his sæpe parva impedimenta molestiora ac difficiliora sunt ad superandum, quam vel maxima pericula et calamitates iis, qui sibi omnino diffisi spem omnem suam positam habent in Deo.

Magni ad solatium nostrum refert vos gravis cujusdam nostræ curæ ac sollicitudinis ignaros non esse, quo nos vestris vel precibus vel sacrificiis adjuvetis. Nam cum Deum delicta nostra et multa et magna non lateant, illa

nos cogitatio valde sollicitat, ne divinæ opis aura conatus nostros ad fines non provehat optatos, nisi magna quædam morum vitæque emendatio in nobis exstiterit. Quam ad rem deprecatoribus utendum est omnibus nostræ Societatis hominibus ac studiosis, ut per eos Ecclesiæ universæ Christi Domini nostri sponsæ sistamur, quam sua nobiscum merita innumerabilia communicaturam confidimus, nosque sponso suo, eidemque Patri nostro Jesu Christo, ejusque sanctissimæ Parenti commendaturam.

Ita fiet ut hi rursus æternum Patrem, bonorum omnium fontem atque auctorem exorent, ut nos continenter in officio contineat, et nostra delicta sua infinita bonitate obruens, cœlestia in nos dona congerere non desistat. Etenim ejus duntaxat causa in hæc loca demigravimus (ut ipse mihi optimus est testis, cui mentes nostræ consiliaque perspecta sunt), et studio vindicandi animos hominum ex diuturna dæmonis servitute, qui pro Deo coli studet in terris quoniam id assequi nequivit in cœlo, unde deturbatus in homines atque hos miseros Japones odium expromit suum.

Sed jam faciendum est nobis ut de Cangoximana commoratione vobis exponamus. Cangoximam appulimus, cum adversus jam ventus esset petentibus Meacum, quæ urbs totius Japoniæ maxima est, et regis ac dynastarum domiciliis celeberrima. Post quintum demum mensem dicitur idonea tempestas ad Meacensem

cursum reditura, tum nos Deo bene juvante solvemus. Abest Meacus Cangoxima leucis trecentis. Mira nobis de illius urbis magnitudine narrantur: tectis amplius nonaginta millibus constare perhibent; inibi gymnasium esse celeberrimum; quinque item præcipua discipulorum collegia, et plus ducenta cœnobia bonziorum, aliorumque instar cœnobitarum quos *Legioxos (Reigyochi?)* appellant, itemque ejusdem generis feminarum, quas *Hamacatas (Ama)* nominant.

Aliæ præterea sunt (excepta Meacensi) in Japonia academiæ præcipuæ quinque, Coyana, Negruensis ,Fissonia, Homiana (Koya, Neguro *(?)*, Hiyezan, Omiya ?), quæ circa Meacum modicis intervallis sitæ, tribus millibus et quingentis circiter auditorum singulæ celebrantur, et Banduensis (Bandō, hodie Tokio), Japoniæ totius longe maxima ac celeberrima, a Meaco remotissima. Est Banduensis regio sane ampla, quam obtinent reguli sex, ex quibus unus opibus excellit cui reliqui parent, ipse autem Japonio regi, qui Magnus Rex Meacensis appellatur. Harum de academiarum atque urbium amplitudine ac celebritate adeo mira prædicantur, ut ea prius ipsi oculis cernere ac perspicere, ac tum demum cognita atque explorata ad vos perscribere cogitemus. Præter hasce quas diximus academias, minores alias ferunt esse complures.

Nos si horum populorum animos ad Evan-

gelii culturam aptos paratosque viderimus, fortassis ad omnia præcipua christianorum gymnasia litteras dabimus, ut religionem et scrupulum nobis exemptum illis injiciamus; quando virtutum suarum ac doctrinarum præsidiis facile tanto incommodo obviam ire possent, et barbaros innumerabiles ad Conditoris Salvatorisque sui cognitionem et cultum traducere. Nimirum, ad illos tamquam ad superiores ac parentes scribemus, ut nos habeant in minorum fratrum loco, et simul exponemus quam lætæ atque uberes animorum fruges hinc per ipsos percipi queant.

Quamobrem ab eis etiam atque etiam petimus, ut si qui huc venire ipsi non poterunt, faveant certe iis qui pro divina gloria animorumque salute sese devoverint; quos quidem hic majora et solidiora quam istic animorum solatia divinitus manent. Atque etiam, si negotii magnitudo postulabit, ipsum Pontificem Maximum non dubitabimus de tota re facere certiorem. Etenim ad eum, quippe Christi Vicarium, omnium gentium parentem pastoremque christianorum, ii quoque pertinent qui parati sunt ad Christi cultum, et Ecclesiæ gremium Pontificisque ditionem venire. Et simul pias omnes Deoque acceptas Religiosorum familias, quæ christiani nominis amplificandi studio flagrant, invitabimus diligenter, ut ad divinam illam suam animorum sitim explendam in has Japoniæ insulas convolent, itemque in regionem

Sinarum hac longe majorem, quo sine ullo injuriæ ab indigenis metu aditus patere dicitur, accepta fide publica regis Japonii, cujus secunda voluntate speramus nos, si Deo cordi erit, usuros.

Rex enim Japoniæ amicus est Sinarum regis, et amicitiæ causa ejusdem annulum ac signum apud se habere fertur, ut Japonibus in Sinas proficiscentibus fidem publicam regio obsignatam annulo tradat. Complures autem Japonum naves in Sinas dierum decem aut duodecim trajectu navigare dicuntur. Magna nos spes tenet, si vel decennii vitam Deus nobis suppeditet, multa nos præclara visuros effecta, partim per eos qui istinc advenerint, partim per eos quos hic iidem illi ad veræ religionis cognitionem et obsequium excitaverint. Intra annum hujus sæculi quinquagesimum de rerum Meacensium academiarumque statu, quod ad christianam rem attinet, copiosius ad vos multa scribemus. Hoc ipso anno bonzii duo in Meacensi ac Banduensi gymnasio eruditi, et cum his alii Japones complures, ad religionis nostræ mysteria cognoscenda veniunt in Indiam.

Die qui S. Michaeli festus fuit, cum regulo Cangoximano congressi sumus, qui nos perhonorifice acceptos commonefecit, ut monumenta christianæ legis quam diligentissime custodiremus; quam si veram probamque esse perspexisset, enimvero futurum ut diabolus disrumperetur. Paucis autem interjectis diebus,

potestatem fecit omnibus qui in suo imperio ac ditione sunt, christianam religionem suscipiendi.

Hos ego vobis lætos nuntios in epistolæ clausula illigavi, quo magis et gaudeatis ipsi et Deo gratulemini. Hanc hiemem (ut opinor) in Symboli capitibus japonice paulo copiosius explicandis consumemus, eo consilio ut explicationem typis imprimamus, quo quamplurima loca (neque enim ipsi omnibus præsentes subvenire possumus,) litterarum beneficio quarum plerique Japones gnari sunt, christiana religio pervagetur. Paulus quidem noster fideliter in patriam linguam convertet omnia quæ ad animorum salutem necessaria videbuntur.

Nunc vero vos (quoniam tantus virtuti vestræ campus aperitur,) egregios vestros ad pietatem impetus Deo ac cœlestibus probare oportet. Id assequemini, si intimam animi submissionem factis et vita declarabitis, omnemque existimationis vestræ curam Deo permittetis. Is enim suapte sponte existimationem vobis auctoritatemque apud homines conciliabit; aut si id facere omittat, vestra utique causa omittet, quod periculum esse intelligat ne forte quæ Dei sunt ea vobis tribuatis. Illa me cogitatio valde consolatur, quod in animum induco meum vos in vestris animis tot semper vitia animadvertere, quæ reprehendatis, ut magnum vos capiat odium arrogantiæ, et simul summum teneat desiderium absolutæ cumulatæque virtutis; sic prorsus, ut nullum relinquatis

alienæ reprehensioni locum. Quo fit ut humanam laudem crucis instar habeatis, quippe quæ vestrorum vos admoneat vitiorum.

Sed finem aliquando scribendi faciam, quanquam nullus esse finis potest meæ erga vos vel universos vel singulos benevolentiæ declarandæ. Ac si divino inter se amore diligentium animi oculis cerni possent, vestras, Fratres, effigies utique expressas in animo cerneretis meo. Quod si forte in eo tamquam in speculo vos ipsos intuentes vestras minime agnosceretis imagines, id scilicet eveniret idcirco quod cum ego maxime vestram virtutem suspiciam, vos contra vestram contemnatis infirmitatem, pro vestra egregia humilitate haudquaquam vos ipsos in animo meo agnosceretis, quanquam ipsas vestras imagines in mente nostra cerneretis impressas.

Obsecro vos, Fratres, ut vero germanoque amore inter vos complectamini, neque ullam offensionem animorum exoriri aliquando sinatis; præclara illa vestra studia agendi patiendique pro Christo ad vos inter vos diligendos, et offensiones, si quæ forte extiterint, tollendas sedulo conferatis. Neque enim vos fugit divina illa Christi Domini vox: *In hoc cognoscent homines, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inter vos* [1].

---

1. Joan, XIII, 35.

Christus Dominus suam mentibus nostris voluntatem declaret, viresque ad eam perfecte exequendam pro sua bonitate suppeditet.

III. Non. Novemb. MDXLIX. Cangoximæ.

Totus vester in Christo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA II.

PP. Gaspari Barzæo, Balthasari Gago, et Jacobo Carvallio.

Eos, Gaspare duce, in Japoniam vocat.

Gratia et amor Domini nostri Jèsu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

CUM in his Japoniæ regnis præsens animadvertam dispositionem optimam ad insignem profectum nostræ sanctæ fidei, et aliunde memoria repetam inflammata desideria quibus dudum æstuatis divinæ promovendæ gloriæ, adjuvandis proximis in suarum invenienda salute animarum; in eam fiduciam ingressus sum ut sperarem, pro ea quam vestri habeo notitia, non defuturam vobis, Deo Domino nostro juvante, virtutem atque humilitatem interiorem, quarum ope ac præsidio possitis efficere

quod cupitis, et antiquorum aliquando fieri compotes votorum.

Mando itaque vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ad vestrum majus meritum, ut nisi qemquam vestrum valetudo impediat, vos, magister Gaspar, Balthasar Gage, et Jacobe Carvalli, veniatis in Japoniam, ubi ego sum mox iturus, Deo juvante, Meacum, ubi ut spero me reperietis.

Vos vero, Balthasar Gage et Jacobe Carvalli, toto itinere obedietis magistro Gaspari, de cujus prudentia et humilitate confido functurum illum tali præfectura, qua par est attentione ac diligentia.

Quia certissimum habeo vos, statim ut hæc videritis, nullam moram huc proficiscendi facturos, sic suadente perspectissima mihi vestra omnium religione, ac perfectione mentis ad obediendum vel cum mortis periculo paratissimæ, amore illius, qui prior *factus est pro nobis obediens usque ad mortem* [1], nihil jam dictis addam quod ad vos et iter hoc vestrum attinet, sperans vos, Deo deducente, salvos hic mihi atque incolumes brevi sistendos.

Scribebat hæc manu propria vester ac vestri amantissimus in Christo frater.

Cangoximæ, III. Non. Novembris, Anno MDXLIX.

FRANCISCUS.

---

1. Phil. II, 8.

EPISTOLA III.

Societati, Goam.

Assidue probis moribus ubique concionandum, e suggestu sermone vernaculo. De propriæ salutis cura, et de duobus bonziis benigne tractandis.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

Si tanta vos tenet mei memoria quanta me vestri, utrique desiderium corporum levius feremus, cum semper fere animis præsentes adsimus.

Lusitana Indiæ præsidia quæ Sociis nostris carent, sic vobis commendo ut majore studio commendare non possim, idque pro maximis regis Lusitaniæ in nos omnes qui in India versamur beneficiis atque promeritis. Si Socii Goam concionatores Olyssipone pervenerint, per hos illis consuletis; sin minus, alios submittetis Socios, quorum virtus animique submissio Lusitanos juvet confessionibus audiendis, sermonibus habendis, pueris servisque ad christianam pietatem erudiendis, cæteris per pias meditationes ad honestatem excitandis, reliquisque nostræ Societatis muneribus obeundis. Et sane boni apud improbos vitæ exemplo assidue concionantur,

atque adeo plus quam concionatores e suggestu sæpe proficiunt, quippe cum longe plus momenti ad permovendum in factis sit quam in dictis.

Si Goano in collegio Socii sunt ad christianam doctrinam in omnibus urbis templis teneræ ætati tradendam idonei, solitis horis mittendos censeo ut catechismum quidem doceant quotidie, dominicis autem ac festis diebus appositam etiam ad ea quæ explicantur e catechismo cohortationem habeant, et simul sancti alicujus viri præclara facta commemorent. Collegii porro istius rector idem faciat in maximo urbis templo. Si alii præterea concionatores domi sunt, qui pueros christianæ disciplinæ rudimenta docere queant, pergratum mihi fecerint si eos docuerint, ac suæ virtutis odore atque exemplo reliquos excitaverint ad studium pietatis. Verum sermone omnes utantur apud Lusitanos vulgari ac vernaculo, quali indigenæ christiani ac mancipia uti solent: quod ego quoque cum istic essem sequebar, quoniam is sermo facilius in aures atque animos influit auditorum. Quid in hoc genere fiat, facite identidem ut sciam.

Magnopere hortor ut vobis ipsi (quod caput est) primum attendatis: *Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit* [1]*?* qui alios curare potest qui se ipsum negligit? qui tandem attentus ac diligens erit in alienis rebus, qui est dissolutus in suis?

---

1. Eccli. XIV, 5.

Jam collegii alumni ut maximam partem Sinæ aut Japones sint curate; eos bonis moribus ac litteris imbuite; in Lusitano sermone utique exercete, ut hic ubi magno usui esse possunt, interpretum munere fungantur. Equidem unde majores animorum fructus percipi queant quam ex Japonia ac Sinis, orbis terræ partem esse arbitror nullam. Venient istuc in collegium hoc anno bonzii Japones duo, qui omisso illo sacrilego sacerdotio, ad Christi fidem sese contulerunt. Curate ut eos comiter benigneque tractetis, item ut ego, cum apud vos essem, Paulum Japonem *a S. Fide* tractabam. Etenim Japonum ingenia ejusmodi sunt ut nulla re flectantur ac regantur alia, nisi humanitate ac benevolentia.

Tres illos quos poposci socios ad me mittetis. Epistolam autem de interioribus animi sensibus, quam in eumdem fasciculum conjeci, circum alias sociorum sedes quæ in India sunt, mitti ac recitari placet.

Christus Dominus noster pro sua bonitate ac misericordia nos omnes in sua felicitate conjungat. Amen.

Datæ III. Non. Novembris MDXLIX. Cangoximæ.

EPISTOLA IV.

Societati Jesu, Conimbricam.

Eadem fere, quæ epistola I, resecatis plerisque ad virtutem incitamentis.

JAPONEM Deo aspirante attigimus Augusto mense, die Assumptioni Mariæ Virginis sacro, cum festo ipso Divi Joannis Baptistæ die natali Malaca sub vesperam solvissemus.

Naviculario usi sumus ethnico, mercatore Sina, qui suam in id operam præfecto Malacæ detulerat, ac primo sane feliciter navigavimus; sed mox (ut sunt barbarorum ingenia ad levitatem atque inconstantiam prona), profectionis mutare consilium navicularius cœpit, et in occurrentibus passim insulis tempus frustra conterere. Nobis autem in eo itinere cum alia multa, tum illa duo præcipue molestissima contigerunt: alterum, quod oblata divinitus tempestate nautæ per nequitiam abuterentur; qua elapsa, ad oram Sinarum appellere, ibique totam hiemem cursum exspectantes ponere cogebamur: alterum, quod in eadem navi simulacrum vehebatur dæmonis, cui nautæ quamquam invitis nobis et inspectantibus patrio ritu sacrificabant. Ab eodem etiam per sortes de ipsa navigatione petebant responsa, quæ

(ut aiebant credebantque barbari), modo læta modo tristia reddebantur.

Centum a Malaca leucas Sinas versus provecti, quamdam ad insulam stetimus; ibique adversus maris illius sævitiam navalibus instrumentis aliaque materia comparata, post multas cærimonias et sacrificia, quæsitum est ab idolo prosperam deinceps fortunam essemus habituri necne. Cum valde prosperam respondisset, proinde ne moraremur diutius, sustulimus anchoras, velaque gratulabundi fecimus omnes: illi, simulacro, quod in puppi locatum candelarum luminibus odoramentisque ex incenso ligno quodam aquilano venerabantur; nos Conditori cœli terræque Deo, et ejus filio Domino Jesu Christo, confisi, cujus cultum religionemque amplificandi studio in ea loca deferebamur.

Cum jam essemus in cursu, placuit nautis a dæmone percontari utrum navis, qua vehebamur, Malacam esset Japone reditura. Cum in Japonem quidem perventuram omnino sortilegi retulissent, verum ex Japone Malacam minime reversuram, tum vero institutæ navigationis pœnitere barbaros cœpit, satiusque iis videri apud Sinas hiemare, et Japonicam profectionem in alterum annum differre. Noster autem quis animus, quis tum esset dolor, cogitare vobiscum potestis ipsi, cum de tota itineris nostri ratione consuleretur dæmon.

Mox in oram terræ quam Cocincinam vocant delati, duo, uno eodemque die (qui fuit Divæ

Mariæ Magdalenæ sacer) vespere, sane quam adversa pertulimus. Etenim exasperato vehementius mari, ingentesque volvente jam fluctus, cum jactis anchoris agitaremur in salo, apertum in ostium sentinæ unus e comitibus nostris, Emmanuel Sina, forte præteriens decidit. Mortuum credidimus, nam et alte ceciderat, et a capite pœne ad umbilicum obrutus aliquantisper in aqua jacuerat. Verumtamen extractus magno cum labore, exanimis licet graviterque caput sauciatus, adhibita curatione, paucis diebus Deo favente convaluit. Nondum hujus plane curatum erat vulnus, ecce tibi eodem ferme casu eademque navis jactatione, filia navarchi in mare delabitur, et in omnium oculis frustra conantium opitulari submergitur. Cujus interitum tanti sunt ejulatus ac lacrymæ consecutæ, tanto præterea quotquot in navi eramus vitæ in discrimine versabamur, ut admodum digna miseratione res esset. Barbari ad propitiandum per sacrificia dæmonem versi, nulla capta quiete, diem noctemque totam mactandis idolo avibus ferculisque apponendis operam dederunt. Per sortes etiam quæsiere causam infortunii; responsum est si is qui prius in sentinam ceciderat Emmanuel fato functus fuisset, puellam in mare non fuisse lapsuram.

Cernitis ipsi profecto quantum nobis eo responso dæmon ab suis ministris crearit periculum, et nobis quid futurum fuerit, nisi furentis rabiem Dominus compressisset. Sed me tamen in primis graves illæ in Deum injuriæ et barbarorum

sacra illa sacrilega permovebant. Itaque fusus in preces Deum rogavi sæpius, ut, priusquam fluctibus operiremur, homines ab se ad ipsius imaginem et similitudinem conditos, tam falsis opinionum erroribus impiisque superstitionibus liberaret; tetrum quippe spectaculum et indignum est facinus, Dei vice ab hominibus ad unius Dei laudem factis adorari perpetuum ipsius humani generis inimicum.

Cujus de minis atque terroribus, quibus ille mortales nactus occasionem aggreditur, quod multa mihi eo die noctuque Dei beneficio contigit experiri, quamquam ea sane cognitu utilia sunt, tamen brevitatis causa cætera prætermittam. Unum illud summatim attingam: hujusmodi ipsius petitiones eludi nulla ratione facilius, quam animi magnitudine quadam ac securitate præstanda, non illa quidem quæ propriis viribus, sed quæ unius Dei tutela præsidioque nitantur. Venisse tempus ulciscendi doloris sui crebro mihi ponebat ob oculos. Sed magis tali in re ac tempore nobis timendum est ne fixam in Deo fiduciam, quæ debet esse firmissima, remittamus, quam ne ab hoste (qui nihil valet nisi Domino permittente) vincamur. Porro quid nobis in extremo spiritu futurum est, fratres, cum debilitatis corporis animique viribus, graviori quam unquam antea tentatione vexabimur, nisi per otium prius spem totam in Deo reponere atque ad eum tempestive confugere didicerimus?

Verum ut ad rem redeam, lenita paulum tem-

pestate, vela ventis mœrentes dedimus, paucisque diebus in portum Sinarum quem Cantonium vocant pervenimus. Ac nautis quidem non dubium fuit quin hiemandum esset ibidem; quamvis nos partim rogando, partim etiam eam injuriam cum Lusitanis et cum præfecto Malacæ expostulaturos minando, frustra eos revocare a proposito niteremur. Sed nescio quomodo factum est ut stationis mutandæ, petendique portus Cincei (qui in eadem est insula) subito consilium caperent. Eo cum jam appropinquaremus, navarchus a quibusdam præter navigantibus repente fit certior Cinceum portum a piratis compluribus obsideri.

Præsens omnino periculum imminebat, eratque ventus Cantonem revertenti adversus, Japonem petenti secundus; quocirca subita re perculsi nautæ, volentes nolentes cursum in Japonem dirigere, et nos quo polliciti fuerant (et quidem reliquis portubus insulæ exclusi) recta Cangoximam, quæ Pauli nostri patria est, invito dæmone perducere sunt coacti. Ibi cum a Pauli cognatis tum a reliquis oppidanis amicissime excepti sumus.

Japonia gens (quantum perspicere hucusque potuimus), cæteras nationes quæ nuper inventæ sunt virtute ac probitate antecellit omnes; tractabili admodum est ingenio, atque ut plurimum a fraudibus abhorrenti; dignitatis vero mirum quam studiosa, sic prorsus ut eam reliquis rebus omnibus anteponat. Rei familiaris inopia patet illa quidem in hac gente latissime, sed ea nulli

est dedecori (quamquam eam alioquin ægerrime ferunt), nec sane minus idcirco qui nobiles sunt a plebe coluntur; neque vero eorum quisquam pauperrimus licet connubio cum plebeis ulla mercede jungatur: usque adeo existimationem divitiis præferunt. Magnum sibi invicem habent honorem.

Armis plurimum tribuunt iisque præcipue delectantur; et simul ac quartum decimum ætatis annum attigerunt, ense ac pugione præcincti, plebeii æque atque optimates incedunt. Injuriam nullam, nec verbum paulo contumeliosius ferunt. In victu sane sibi temperant, sunt tamen in potu liberiores. Usum vitis ignorant, oryza exprimunt vinum. Aleam lususque omnino refugiunt, quod nihil homine indignius putent quam rebus iis vacare, quæ animum alieni appetentem ac rapacem efficiant. Si quando jurant (quod perraro fit), per solem jurant. Litteras norunt plerique, quo etiam facilius christianis ritibus imbuuntur. Unica singuli sunt uxore contenti; ad omnem honestatem atque ad humanitatem sunt valde propensi natura, discendique percupidi. Sermones qui de Deo habentur (præsertim cum probe quæ dicuntur intelligunt) audiunt libentissime. A furtis vero tam aversum nec de christianis nec de barbaris populum quemquam videre me memini. Veterum quorumdam, instar philosophorum, maxima pars opiniones sequuntur. Solem multi, lunam alii adorant. Ut quidque naturæ maxime consentaneum est, ita facillime

assentiuntur, et acquiescunt si peccati cujuspiam ratione probabili convincuntur.

Multo minus impuros et rectæ rationi magis obtemperantes laicos quam sacerdotes invenio, qui ipsorum lingua *bonzii (bōzu)* appellantur. Ii cum reliquis flagitiis tum præposteræ libidini turpiter adeo dediti sunt, non modo ut id non celent, sed etiam profiteantur palam, et longo jam usu virorum æque ac mulierum aures callum ad tam nefarii sceleris nomen obduxerint. Quod tamen vitium nos vulgo cum reprehendimus, et quam sit grave Deoque invisum ostendimus, cæteri sane lætantur et approbant; bonzii ad quos potissimum reprehensio pertinet, tantum abest ut aut erubescant aut doleant, ut etiam aperte derideant nos et illudant. Permultos habent in cœnobiis filios optimatum instituendos litteris: horum ætatis flore abutuntur.

De bonziis quidam sunt cultu corporis nostris monachis non absimiles, vestibus utuntur cineritii coloris, tertio vel quarto quoque die capillum ac barbam penitus videntur abradere; horum laxior etiam est disciplina. Muliebres (quibuscum vivunt) ejusdem ordinis habent cœtus: quas fama consentiens est prægnantes partum medicamentis abigere; itaque ob eam rem apud multitudinem admodum audiunt male, nec sane (quantum egomet, ipsorum aliqua ex parte jam cognitis moribus, judicare possum) injuria. Hos inter et alios quos dixi sacrificulos (ii clericorum ferme utuntur ornatu) minime convenit.

Duo præcipue in hac terra mihi pæne stuporem incutiunt. Alterum quam gravia quamque nefanda peccata quam nihili fiant; atque id nimirum accidit maxime patrum culpa, qui traditam sibi tum a natura tum aliquam fortasse etiam a majoribus normam recte vivendi, corruptam ipsi deinceps ac depravatam posteris reliquerunt; ut ex hoc obiter illud etiam appareat, quemadmodum in communi vita naturalis igniculi probitatis, pugnantibus cum natura vitiis, paulatim penitus extinguuntur, sic in vita perfecta virtutum habitus licet jam constitutos, nisi assidua ac diligens cura adhibita sit, remissioribus officiis labefactari sensim ac destrui. Alterum est, cur hi sacerdotes, cum nec integritate nec innocentia sint cum secularibus comparandi, tanto nihilominus apud eos in honore atque existimatione sint; et quamquam in magna omnes pravitate summaque opinionum perversitate versantur, tamen qui sapientia præstare videntur cæteris præcipuum dignitatis obtinent locum.

Horum cum aliquibus congredi mihi sæpenumero contigit, cum uno præsertim, cui tum ob eruditionis famam et muneris quo fungitur amplitudinem, tum etiam ob ætatem quæ annorum est octoginta, cuncti plurimum tribuunt, eumque sua lingua *Ninxit* appellant, quod vocabulum *veritatis cor*, si interpretere, significat. Is inter bonzios est veluti episcopus: felix utique, si ipsius nomini facta consentiant. Eum ego in sermonibus quos habuit mecum, de immortalitate animorum

valde incertum offendi, quam ille parum sane sibi constans modo asserit modo negat. Quam vereor ne reliqui sint huic similes litterati. Ipse autem dici vix potest quanta me benevolentia prosequatur.

Neque vero cæteri omnes et bonzii et laici non admodum nostra consuetudine delectari videntur. Atque illud mirântur in primis, divinoque prorsus affirmant factum esse consilio, ut eam unam ob rem quo de rebus divinis verba faceremus, tam remotas in regiones (omnino leucarum sex millium et eo amplius iter est), ab ipsa usque Lusitania contenderimus. Mirantur etiam vehementer cum audiunt, gentibus iis quæ in Jesum Christum crediderint ejusque præceptis obtemperaverint, certissimum sempiternæ beatitudinis præmium esse propositum.

Ad summam scire vos volo, quo magis gratulemini Deo Domino, magnam in hac insula paratam esse christianæ rei bene gerendæ materiem. Itaque nos japonice si nossemus, dubium mihi non est quin multi fierent christiani. Verumtamen brevi (Deo favente) discemus. Quadragesimus dies est ex quo ad eam rem animum adjecimus: præcepta decalogi japonica lingua jam exponimus.

Hæc ego fusius ad vos eo perscribo, ut vehementius gaudeatis in Domino pares omnium vestrum industriæ studiisque aperiri provincias, et simul ut diligentius interea cum reliquas virtutes tum præcipue patientiam meditemini.

Illud vero semper animis vestris memoriæque fixum inhæreat, gratiorem esse Domino victimam plenum christianæ humilitatis animum, quo se vitamque suam quis illi studiose devoveat, quam permulta, licet præclara, sine humilitate facinora. Nec multum aberit fortasse quin e vobis complures huc intra biennium evocem. Proinde estote parati; submissioni vacate, vobis ipsi ubicumque opus est resistite fortiter; omnem curam, cogitationem, laborem in vobis penitus cognoscendis insumite. Hinc nimirum et fides in Deum et charitas crescet in proximum; hinc perspicietis quotidie clarius quam nullum vobis perfugium in vestris viribus esse debeat constitutum: porro inani sublata spe, quæ una vera ac solida est in Deo fiducia consequetur. Hinc intima illa denique existet humilitas, quam vos terrarum ubicumque fueritis, sed præcipue si in hæc loca mittemini, magis etiam quam fortasse putatis necessariam vobis intelligetis.

Quocirca vos rogo ut omni prorsus humana spe vel carnis prudentia atque elatione deposita, omnibus vestris in actionibus uno Deo nitamini. Hoc tam firmo præsidio si muniti fueritis, tum nec quod ad corpus nec quod ad spiritum attinet, res erit ulla tanta tamque difficilis, quam vos, meo judicio, non et suscipere et sustinere possitis.

Cangoximæ (quam Pauli nostri patriam esse docuimus) tum a magistratibus, tum ab universo populo accepti sumus comiter admodum ac benigne, novos e Lusitania sacerdotes cunctis non

sine quadam admiratione visentibus. Pauli vero ipsius officium erga nos ac fides egregia constitit. Qui quod se ad Christi gregem adjunxit, nequaquam offenduntur in illo Japonii; quinimo suspiciunt hominem quod Indiam peragraverit, quod ipsis incognita multa didicerit.

Regulus quidem ipse, cum ad eum Paulus quinque procul ab oppido leucis commorantem salutatum accessisset honoris causa, pictamque in tabula (quam ex India adveximus) Christi Domini nostri, et sanctissimæ Virginis Matris secum attulisset imaginem, magnopere ipsius adventu congressuque lætatus est; multaque de Lusitanorum moribus deque imperio quod obtinent in India percontatus, denique prolatam a Paulo, quam dixi, imaginem nixus genibus adoravit supplex, atque id ipsum fieri ab omnibus qui aderant imperavit. Eamdem contemplata mox reguli quoque mater, magnam cepit admirationem simul ac voluptatem. Itaque paucis post diebus quam Paulus Cangoximam rediit, misit mulier qui desumendum ejus exemplum aliquo modo curaret, verum defuit artifex. Petiit etiam a nobis ut sibi fidei christianæ capita litteris ederemus. In eam rem Paulus dies aliquot diligenter incubuit, et japonice multa conscripsit.

Idem cognatos amicosque homo impiger dies ac noctes ad salutem hortari ac docere non destitit, brevique uxorem et filiam, multos præterea utriusque sexus in ovile Domini compulit. Nec sane (ut initia sese dant) consilium eorum im-

probatur in vulgus; et quia plerique legere et scribere jam ante didicerant, perfacile christianis precationibus assuescunt. Cum linguæ subsidium nobis (ut speramus) accesserit, tum res multo melius, Deo bene juvante, procedet; nam nunc quidem inter eos veluti quædam simulacra versamur. Multa illi de nobis loquuntur et conferunt inter se: nos videlicet obmutescimus, dumque hujus linguæ elementa percipimus, cogimur quasi repuerascere.

Cujus ætatis quemadmodum mores imitamur, sic utinam candorem ac simplicitatem recuperare possemus! Quam tamen ad rem multum nos loci opportunitas adjuvabit; etenim remotis adeo in regionibus inter impios dæmonum cultores ab amicorum conspectu longissime positi, omnique pæne mortalium ope ac solatio destituti, nimirum nostrimet paulatim obliviscimur, nosque in Deum totos necessario effundimus. Quod secus ubi christiana viget religio fieri consuevit: parentum quippe vel patriæ caritas, affinitates, necessitudines, amicitiæ, ad omnes corporis animæque usus parata subsidia, Deum inter et homines interponunt fere sese, atque inde sensim ipsius Dei subrepit oblivio. Quocirca eximiam in nos hoc etiam nomine Dei benignitatem experimur, qui cum hac suscipienda peregrinatione aliquod præstare nos illi putaremus obsequium, ipsi nos potius singulari ejusdem beneficio affectos, multisque vinculis solutos agnoscimus, quæ spem nostram ac fidem quominus cresceret distinebant.

Quæ ipsius in nos tanta merita, ne male locata sint, neve nostra culpa ingratique animi vitio divinæ erga nos beneficentiæ exarescat flumen, vos etiam istic, quæso, nobis in agendis gratiis subvenite.

Ad hæc illud quoque non leve commodum accedit, quod deliciis iis, quæ alibi carnis stimulos irritare animique et corporis vires solent infringere, hic caremus omnino. Etenim Japonii nullum altile mactant vel comedunt; pisce vescuntur interdum, oryza et tritico non abundant, herbis et arborum fructibus ut plurimum victitant. Et quidem ita prospera valetudine ad multam usque senectutem utuntur, ut facile appareat quam paucis sit eadem, quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta. Nos quoque corpore valemus recte: utinam perinde animo valeremus!

Eorum qui nefaria hujus insulæ sacra procurant magna est multitudo: ii carne, pisce vinoque suis legibus abstinent; semel tantum quotidie cibum, et eum quidem exiguum capiunt; complures etiam, clericorum ferme retinentes ornatum, capitalis metu supplicii a mulierum consuetudine prohibentur. Quibus illi rebus, et antiquitatis peritia quadam et superstitionum suarum fabulis enarrandis, magnam sibi auctoritatem apud Japonios compararunt. Horum decretis atque institutis quod vehementer adeo christiana quam profitemur doctrina adversatur, valde suspicamur fore ut, licet in præsentia nobis favere videantur, tamen cum res paulatim progredi cœperit, nos-

tram in perniciem tum sæviant ipsi, tum vero populum concitent alioqui per se minime nobis infestum.

Fixum autem ac certum est nobis sicuti ab omni prorsus contumelia et jurgiis abstinere, ita ab gentibus ad cognitionem Conditoris Liberatorisque nostri Domini Jesu Christi vocandis nulla ratione desistere. Quod si evenerit ut in causa tam honesta tamque pio ac salutari negotio vitam ponamus, næ nos id in magni beneficii loco accipiemus a Domino, cujus præceptis animarum salutem corporis nostri jactura mercari jubemur.

Sed jam reddenda nobis est ratio Cangoximæ cur tam diu substiterimus. Cum in animo nobis esset Meacum (quæ regia urbs est insulæ totius opulentissima) sine mora contendere, adverso vento Cangoximæ sumus retenti. Post quintum non minus mensem dabitur cursus: tum denique Deo volente proficiscemur. Abest Meacus hinc iter leucarum trecentarum. Multa nobis de ejus urbis magnitudine mira narrantur: tectorum plus nonaginta millibus habitari, cum academia percelebri et collegiis quinque præcipuis; et sacrificulorum quos bonzios vocant, et monachorum quos *Leguixi*, et ejusdem ordinis feminarum quas *Hamacata* nominant, cœnobiis plurimis.

Præter hanc Meacensem, quinque præterea sunt in Japone admodum insignes academiæ: Cojana, Negruensis, Homiana, Frenojama, Banduensis. Priores quatuor circa Meacum sunt, quarum singulæ auditoribus ter mille et quingentis, et eo

amplius celebrantur; postrema vero longe omnium nobilissima et frequentissima distat longius. Est autem diœcesis Banduensis perampla; sex eam obtinent reguli, e quibus uni reliqui omnes parent, ipse vero Japonio regi, qui magnus rex Meacensis vocatur. Ad hæc multa quoque minora gymnasia toto regno esse dicuntur. Denique in hoc genere tot sunt quæ audimus ac tanta, ut ea prius oculis ipsi cernere quam aliis referre vel affirmare cupiamus. Cum ita esse re ipsa nobis compertum fuerit, tunc cuncta fusius perscribemus.

Quod si provinciæ statum ejusmodi cognoverimus ut in convertendis ad Dominum gentibus multum profici possit, ad omnes præcipuas christianorum academias, religionis et officii causa, forsitan litteras dabimus, ut in eis quicunque ingenio virtuteque excellunt, vel in hæc loca veniant ipsi, vel certe alios ad veniendum propensos impellant; nostrum qui hic sumus obsequium atque assiduitatem ad omnia fore sibi paratam intelligant; majora quam istic fortasse percipiunt spiritalia gaudia sibi Dominum impertiturum esse confidant. Si vero operæ pretium esse videbitur, ipsum quoque Summum Pontificem tota de re certiorem facere non dubitabimus; quandoquidem ad eum utpote Christi Vicarium in terris, et pastorem omnium qui ad christianam fidem et spiritalem Ecclesiæ ditionem accedunt, ea cura potissimum pertinet. Neque vero cæteros quoque aliorum Ordinum religiosos

fratres, qui salutem animarum et Christi gloriam sitiunt, non invitabimus. Qui ut frequentissimi veniant, supererit tamen multorum præterea conatibus ac labori locus.

Nam præterquam quod Japonis regnum per se amplum est, aliud etiam multo majus, nempe Sinarum, abest, hinc non plus decem duodecimve dierum trajectu. Magna vero sumus in spe (si tam diu suppetet nobis vita) partim per eos qui istinc venerint, partim per eos qui ex his populis ad Christi cultum fuerint traducti, nos intra decennium in his regionibus confecta multa præclare visuros. Sed de omni conditione rerum Meacensium et academiarum, quod ad christianam rem pertinet, ante exitum anni MDLI, volente Deo, explorata ad vos omnia compertaque perscribam. Hoc anno bonzii duo in Meacensi et Banduensi academia versati, et cum iis complures Japonii, ad christiana mysteria cognoscenda proficiscuntur in Indiam.

Die qui fuit Divo Michaeli sacer, cum regulo Cangoximano collocuti sumus, qui nos admodum honorifice exceptos admonuit ut christianæ legis volumina diligenter asservaremus: quam si veram sanamque perspexerit, enimvero fore ut diabolus disrumpatur. Paucis deinde post diebus edixit licere omnibus qui sub ejus imperio sunt impune fieri christianos. Hæc ego lætiora in extrema epistola adscribo, quo magis gaudeatis et gratulemini Domino Deo nostro.

Nobis (ut arbitror) hæc hiems in articulis fidei

copiosius explicandis ponetur. Quam explicationem Paulus carissimus frater noster cum japonice verterit (vertet autem fideliter quidquid ad suorum salutem necessarium fuerit), typis tradere cogitamus, ut cum nos ubique coram adesse nequeamus, litterarum beneficio, quas norunt plerique, veritas christiana latius propagetur.

Nunc vos (quoniam tanta patefit vobis provincia), omni studio industriam pietatemque vestram in theatro cœlesti probare contendite. Id assequemini si in hoc sæculo humilitatem et sensibus intimis colueritis, et moribus expresseritis ac vita: quod ad existimationem auctoritatemque attinet, totum id Domino permittentes, qui vobis eam ipse per se conciliabit profecto. Quod si facere omiserit, vestra causa, videlicet ne quæ Dei sunt vobismet arrogetis, omiserit. Illud vero vos ego etiam atque etiam obtestor, ut veram inter vos pacem atque concordiam omni ratione retineatis, summaque ope nitamini ut ne quæ in vobis semina dissensionis existant: præclaros illos vestros conatus ac studia patiendi pro Christo conferatis interim ad omnem discordiæ spiritum debellandum, memores affirmasse Christum ea re suos cognitum iri, si se diligerent invicem.

Gratiam suam Dominus Deus noster ac voluntatem animis nostris insinuet, quo ex ea quam maxime cuncta faciamus.

Cangoxima. Nonis Novemb. 1549.

Totus vester in Christo Jesu Domino nostro.

FRANCISCUS XAVERIUS.

EPISTOLA V.

P. Antonio Gomezio Societatis Jesu.

Præcipuam suimet curam, et accuratas prolixasque de Sociis litteras exposcit. De Sociis in Japoniam mittendis, de idoneo eorumdem trajectus tempore, ac de Lusitanis quæstu japonico illiciendis. De Comorinensibus cæterisque Sociis singillatim, de bonziis illo proficiscentibus, de observantia in superiores, humanitate in subditos, acri omnium cura, summa sui.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Quoniam epistola, quam III. Nonas, hoc est nudius tertius, ad vos communiter omnes qui e Societate Goæ degitis, dedi, tam prolixa est, tamque distincte persequitur singula, vix quidquam superest quod ad te proprie scribam præter hoc unum: obversari te continuo menti memoriæque nostræ; nec unquam cessare affectum meum ab ardenter optando tuæ animæ plus gratiæ ac profectus spiritualis, quam fortasse tu ipse tibi cupias.

Omnium quidem Fratrum nostrorum per Indiam sparsorum, quos tibi commisi, gerere te curam velim, ut ad perfectionem indefesso contendant studio; cæterum præ cunctis scito

commendare me teipsum tibi, nihilque magis velle aut majoris momenti ducere, quam te toto conatu incumbere ad promovendum provehendumque semper in melius tuum animum. Quo in negotio si vigiliam etiam acerrimam remitti vel paululum a te scirem, haudquaquam te idoneum arbitrarer, cui salus aliorum aut omnino quidlibet rei majoris recte committeretur. Si vero (quod potius reor, et Deum ut annuat veneror) tu alacris et strenuus ad scopum semper animo propositum summæ Dei gloriæ tui perfectione procurandæ, irrevocabili perges impetu currere, obstaculis quibusvis eluctandis, idque mihi certo nosse contigerit, haud desperarem posse fieri, ut te aliquando huc accersam mittendum Meacum aut Bandum, hoc est in arces ipsas ac castra japonicæ superstitionis, ubi amplam nanciscereris facultatem tua sancta desideria explendi.

Cave omittas scribere mihi fuse ac prolixe de cunctis Fratribus nostris qui vivunt per Indias, deque iis qui in Lusitania, quique Romæ degunt, exponens quid quisque agat, quo fructu in vinea Domini laborent. Magnam constituo spem fructus animi solatiique ingentis in tuarum ejus argumenti lectione litterarum, quo ne me defraudes oro te; nec chartæ in hoc parcas aut operæ; utique cum me non otiosissimum, ut satis nosti, tam verbosis litteris quales sunt hesternæ illæ, vos de omnibus quæ vobis grata utiliaque fore autumo, haud pigeat certiores facere: cujus a vobis diligentiæ vices gratas exspecto scilicet ac flagito.

Quos istinc huc in Japonem advoco, ut se quamprimum remotis omnibus expediant, præstoque ad condictum sint, dare te volo sedulam operam, atque auctoritate ad hoc urgendum ea uti, quam tibi plenam rerum istiusmodi contuli. Scis modos id efficaciter et suaviter efficiendi accommodate ad cujusque captum ac genium.

Pater Cosmus Turrianus tui amantissimus scribit tibi, ac pro suo vehementi erga te affectu multa optat, quæ tibi ut conducibilia modo sint, vereor: maturescent adhuc cruda suo tempore, articuli opportunitatum exspectentur.

Interim sic habe: majora me tibi et ampliora destinare, quam tu ipse aut hic perstudiosus tui Pater cupiatis; adeoque vix aberit quin, antequam tertius ab hinc annus evolvatur, litteras a me accipias quibus huc evoceris ad aliquam ex celeberrimis horum regnorum academiam iturus, ubi fortasse uberioribus quam autumas divinarum consolationum illapsibus frueris, et aliquanto numerosiora congeres animarum lucra, quam quantum istud est quod ex tuis in excolenda India laboribus percipis. Verum hæc alias.

Quod nunc instat, quia verebar ne quis in aliquem e Sociis quos huc accerso, tuus forte tibi tenerior affectus obreperet, ut specioso prætextu fas putares excipere ac retinere istic quempiam, alio in ejus subrogando locum, etiam atque etiam edico: cave attentes quidquam tale, ac persuasum habe fore, si, quod absit, hoc faceres, ut graviter in re momenti maximi contra tui

præpositi disertum imperium, contra tuum ipsius officium delinqueres, et culpam conscisceres haud leviter a Deo vindicandam. Id quod ego tua etiam causa studens prævertere, mando tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut plane omnes ad quos scribo nominatim huc evocans, nemine prorsus quocumque obtentu prætermisso aut mutato, confestim expedias, et ut ad tempus solvendarum in has terras navium procincti ad cursum præsto sint cures.

Per naves quæ Goa in Armuziam non fere ante Martium solvunt, fac mittas illuc exemplar epistolæ meæ longioris scriptæ III. Nonas ante hoc triduum, simulque quam scribo proprie ad Magistrum Gasparem, jubens eum venire ad nos quamprimum, ut ea ille mature accepta comparare se possit ad occurrendum istuc tempestive ante Aprilem anni sequentis, navibus usurus illo tempore Orientem versus vela facere solitis, nam et nos eodem Aprili mense ad hunc cursum Goa solvimus.

Si quem ex a me vocatis mori contingeret, age de alio ei substituendo cum Patre Paulo; et quem concordi judicio ad id ambo probaveritis, huic in virtute obedientiæ a me præcipite ut cum aliis veniat. Singulis enim illorum, ne mercede obedientiæ fraudentur, præceptum huc navigandi pro potestate imponendum censui. Videtur mihi expedire ut ii ducant secum duos adjutores laicos, aut saltem unum. Hos oporteret, præterquam industrios ac strenuos ad necessaria ministeria

domestici usus quantumvis humilia, etiam esse homines perspectæ virtutis, quos satis confidi posset, in quibusvis occasionibus peccandi, tutos a lapsus periculo futuros; atque id pro rei momento iterum inculco. Eligantur, inquam, ad id viri constantiæ in bono probatissimæ, quorum innocentia secure queat exponi vel pellacissimis illecebris tentationum, quales utique abundant in terra ob lubrica præcipitia supplantatrice non caute per eam gradientium, parumque aut attentorum ad vitandos, aut fortium ad frangendos, dum occurrunt, insidiosissime passim sparsos laqueos animarum.

Porro dum hi parantur ad discessum, vos per otium transigere vellem cum prætore, ut is litteras scribat ad regem Japonis, muneraque quæ ejus nomine cum epistola reddantur adjiciat. Valebit id ad commendandum istis gentibus prædicationem evangelicam, cujus præter insitam divinitus vim etiam externis hisce testimoniis adjutæ, tantum non temere fructum exspecto, ut florentem in Japone Christi Ecclesiam conversione plurimorum brevi coalituram existimem. Quia vero sua quisque allectandus esca est, nec assuetos rationibus putandis temporalium lucrorum perinde ostentationes spiritualium utilitatum movent, facite ut diligenter exponatis curatoribus istic fisci regii non vulgarem se præbere facultatem novorum vectigalium magni quæstus ac pretii regi e Japone parandorum. Siquidem facile impetrari poterit, ut in urbe maritima Sacaio

(Sakai) quod est princeps emporium totius Japoniæ, domus publice assignetur procuratoribus regis Lusitaniæ, cum apothecis mercium Europæarum, quæ cum auro argentoque probatissimis, quorum illuc metallorum e fodinis hujus terræ uberrimis magna vis importatur, grandi quæstu permutentur, constituto ibidem portorio et scriptura, ingenti utique compendio fisci regis Lusitanici.

Absque hac objecta spe, male metuo (quam vellem vanam hanc meam et falsam suspicionem esse!), valde, inquam, vereor ut adducantur qui regias istic utilitates curant, ad expediendam Japonem versus navem magnam regis nomine, una proprie de causa importandorum eo prædicatorum Evangelii. Nos porro gaudebimus vel per occasionem Christum annuntiari, etiam in lucro posituri quod saltem in accessorio terrenæ pecuniæ regnum cœleste computetur, ministris hic necessariis salutis animarum tuto, ubi matura messis vocat, invehendis navigio præcipue destinato ad constitutionem humani commercii. Quin si haud prona istic res esset, pro præsenti forte Indiæ statu, mitti legatum ac navem regis aut proregis nomine, posset prætor de suorum cognatorum aut necessariorum aliquo benemereri, concedenda huic legatione libera cum privilegio japonici mercimonii quæstuosissimi. Hic vero, nisi fallor, perlibenter sumptu privato bonam onerariam armaret in istum cursum, unde verisimillime ac quasi certo exspectaret emolumentum omnino maximum.

Videtis qui sunt istic ocupletes institores, quæ facultates, quæ vota singulorum: horum cuipiam ut salivam japonici quæstus moveatis, religionis rationibus nunc utilem offerte, imo et quibuscumque conducibile creditis, quem his adjunctum mitto, catalogum mercium magno hic statim vendibilium quibus istic abundatur. Harum numerum congeri quam maximum oporteret in navim huc mittendam, cujus dominus si pigretur se discrimini committere, procuratorem ei præficiat cui recte fidat; nos quoque pro virili annitemur ad cooperandum citæ distractioni rerum apportatarum; et pro præsenti notitia spondemus ingens plane sic negotianti lucrum ostendi.

Hæc si apte in tempore quibus oportet allegaveritis, existet nempe qui excitetur indicio parabilis thesauri ad quidvis pro spe tali paciscendum. Ac tum periculum non erit ne navis minus firma deligatur. Eam utique, cui tantam rem committent suam, vel omnium instructissimam studebunt esse, nihil curæ ac sumptui parcentes; nos vero sic consequemur ut præcones evangelici eidem impositi navigio quam potest fieri tutissime quo nunc opus est mittantur.

Habes cogitationem meam de modo procurandi trajectus commodi Sociorum istinc in has insulas, de quo illud præterea moneo quod experientia nos docuit. Tuto ac cito transmittere inde huc volenti solvendum esse Goa mense Aprili, Malaca vero mense Junio; quare date operam, ut navis huc ventura cum toto onere ac copioso

viatico annonaque omnis generis, cum Goa tum Malaca vela faciat tempore quod indicavi. Nec qui eam regent ulla se ratione induci patiantur ad deflectendum obiter ad portus ullos Sinarum, quocumque prætextu negotiationis quæstuosæ aut commeatuum inde parandorum, quos aliunde copiose providisse oportuit; ac ne in insulas quidem obvias excedant mercaturæ gratia, nisi necessitate urgente aquationis cursim ac citra moram festinandæ. Sic enim habeant, et expertis credant, recto nec interpellato statione ulla cursu, navigari debere Malaca in Japonem a periclitari gravissime nolente: qui secus faxit, aleam jaciat, præterquam damnosissimæ tædiosissimæque moræ, capitalium etiam discriminum.

Temporis quidem quanta jactura fiat, ex utriusque viæ comparato successu cognoscite: quatuor mensium cum dimidio, in summa tarditate, cursus est rectus Goa in Japonem; si deflectatur ad Sinas, vix mensibus septemdecim, postquam Malaca solverit, navis Japonem tenebit.

Ac quia scio quantum avaritia sub spei præsentis illicio apud institorum animos valeat, ad subita consilia securis promissorum objicienda, e re putarem arte quadam subtrahi materiam negotiationi sinicæ; curarique a vobis ne plus piperis onerariæ imponatur, quam quantum japonico absumendum commercio satis isti norunt. Alioqui si conscii sibi sint tantæ mercis illius copiæ, ut, profligata Sinensibus parte redundante,

abunde superet quod Japonibus vendatur, vix tenebuntur in vicinia sinicorum portuum, quin cupiditati obsequantur et cursum interpellent, quidquid contra suadeat tempestas et vectores reclament. Ergo cum navigium quo Patres vehendi sunt onerabitur, impetrate ab iis quorum hæc potestas est, ne piperis supra octoginta capsas imponatur. Is ferme numerus est qui Sacaii cito et lucro maximo potest distrahi.

Aliud præterea præmuniri vellem ad tanto efficacius frænandam naviculariorum aviditatem. Orate dominum prætorem, qui vobis id non ægre gratificabitur, ut diplomati, quo rectori navis huc venturæ nostros in Japonem deportandi curam demandabit, diserte adscribi jubeat: Vetare omnino se ne mercimonii causa in Sinarum portus exscendat; quia enim extrema tempestivitas cogitantibus Japonem Sinis, in Kalendis Augusti defixa est; adeo ut nisi saltem eo die vela dent etesiis inde adhuc in menstruum fere spatium spiraturis, rerum illic maritimarum periti desperent Japoniam illo anno tangi posse: manifestum esse Malaca solventes sub finem Junii, si negotiis se implicent in emporiis Sinarum, haud expeditos ad navigationem fore sub initium Augusti, mora enim illic necessaria occasionem absumeret viæ japonicæ, cogeretque rursum exspectari usque ad annum vertentem quam vocant *motionem*, hoc est, auram et tempestatem accommodatam ad eum trajectum, stato duntaxat illo tempore recursuram: quod quia gravi prædicationis evangelicæ, quæ

regi præ omnibus cordi sit, detrimento fieret, serio se denuntiare: qui id committat, noxam incursurum quali subjacent qui regis imperio scientes adversantur: utique cum ea solum rite stipulata conditione recti cursus sine diverticulo tenendi, Patres in Japoniam pervehendos acceperit, alteri ex regis mente navi et navarcho commendandos, nisi hoc iste recepisset.

Sociis qui versantur in promontorio Comorinensi mittes exemplum descriptum epistolæ prolixæ, quam III. Nonas ad vos dedi. Simul aliquid affulserit certæ spei e Meaco, statim scribam ad vos fuse, uti et nostris Fratribus Conimbricensibus, et Patribus Romanis.

Si Dominicus Carvallius nondum sit initiatus sacerdotio, petes a domino episcopo ut illum ordinet. Fac amicum tibi teneas et omnibus officiis demerearis Ruizium Gonzalem, nam illum habere benevolum nostra interest, cum ejus curæ commissi sint christiani Comorinenses, unde patres Societatis nostræ, qui in illo promontorio res ecclesiasticas curant, quotidie in multis ejus viri favore indigent. De Melchiore Gonzale, deque collegio Bazainensi, ac de Franciscanis qui illud prius tenebant, an fratres eorum Ordinis recens e Lusitania venerint; denique an id collegium, uti semel nostræ Societati est traditum ita adhuc ab ea gubernetur, et porro in perpetuum gubernandum speretur, scire cupio ex te: quare fac primis litteris, me de his omnibus plene doceas.

Addes de patre Nicolao quo fructu Colani laboret, atque an sedulo urgeat rem quam illi enixe commendavi, summe necessariam ad erudiendos in litteris filios christianorum Comorinensium, et juvandos Patres nostros qui in partes illas mittuntur: quibus quidem Patribus ut nulla in re qua indigeant desis, te etiam atque etiam rogo. Quin ultro invigila petitiones et desideria illorum occupans, cunctisque occasionibus apud prætorem et præfectum ærarii regii, ut eis subministrentur quæ opus sunt, satagens; quin etiam ubi urgente necessitate expeditior eis subveniendi ratio aliunde non occurret, e re familiari collegii istius illis interim consulens.

Cupio præterea discere tuis litteris ecquid exspectati e Lusitania Societatis nostræ concionatores adhuc Goam appulerint, quot ii sint, quibus singuli dotibus præditi. Si vero advenerint, in eorum distributione, ante omnes habeatur ratio civitatis Cocinensis, quæ quantum boni oratoris opera egeat, scio.

Hæc omnia quæ tibi scribo, scripta etiam putentur Patri Paulo, cui communicabis; ad quem spectabit assignare concionatoribus loca in quibus prædicent, et eos illuc pro potestate mittere.

Istuc proficiscuntur bonzii Japones duo, qui versati sunt in academiis Meacensi et Banduensi. Facite illos in cunctis omni benevolentiæ significatione demereamini; amore quippe atque humanitate japonica ingenia conciliantur.

Omni ratione satage, ut multa sis apud dominum episcopum gratia itemque apud ejus vicarium, summum eis amorem veneratione conjunctum exhibens, eis ad nutum inserviens, et in cunctis obtemperans; sunt enim majores nostri, ac quidquid conficiendum cum illis erit, incomparabiliter facilius et citius obsequio ac demissione peragetur. Iterum oro te, in expediendis huc constituto tempore quos advoco Patribus, nihil tibi ad summam diligentiam reliqui facias. Si consiliis nostris Deus faverit et labores adjuverit, accipietis aliquando a me litteras ante annum vertentem Meaco scriptas.

Dominus noster cumulet vos tanta hic gratia, tanta in paradiso gloria, quantam ipse mihi cupio.

Cangoxima. Nonis Novembris An. MDXLIX.

Superioribus a me dictatis, hæc adscribo manu propria. Per Domini Dei nostri amorem, obsecro te, da sedulam operam ut te omnes ac singuli nostræ Societatis fratres ament plurimum. Id consequeris, præsentes bonis verbis et benignis officiis, absentes crebris et perhumanis consolans litteris.

Magnopere te velim statum habere locum ac tempus, quo doctrinam christianam continue rudibus explices, ac cuperem id a te fieri in templo episcopali; ibidemque præterea dominicis ac festis diebus, mane te dicere ad populum e sacro pulpito, post meridiem ad mancipia et pueros

christianorum articulos fidei declarare lingua ipsis nota, prout ego faciebam cum istic essem. Et hoc, ut exemplo sis aliis.

Vehementer oro te ut ad me minutatim scribas de statu interiori tui animi. Scis quantum gauderem, si cognoscere me isto indicio contingeret quæ anxie ac cum acri sollicitudine cupio, de progressu ad perfectionem tuo! Inter multa quæ mihi nuntiari lætissima possent, illud vel in primis numeraverim, si multorum concordibus testimoniis discerem impense amari te a cunctis Societatis nostræ Fratribus, sive qui tecum sub eodem tecto vivunt, sive qui alibi prope aut procul in aliis domiciliis aut missionibus versantur. Caros illos omnes esse tibi si audiam, gratum quidem fuerit, sed dimidium tantum afferet gaudii: ut id plenum sit, persuadear oportet tum te in eos omnes affici tenerrime, tum ab iisdem vicissim impense diligi. Vale.

Tuus in Domino.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VI.

D. Petro de Sylva, præfecto Malacensi.

Xaverii ad Japoniam adventus Petro adscribendus; Pauli Japonis zelus, Japonum ad fidem congruentia. De Meacensi itinere, Sacaii commercio, et compendiosissima nundinatione. De liberalitate in neophytos, et de Dominico Diaz.

In Japoniam denique non venti magis propitii, domine, quam tua nos beneficia perduxerunt, quippe ad fortunandum istum cursum, secundum Dei Domini nostri benevolam providentiam, plurimum (quod grate fatendum est) valuit tua in nos ad hoc procinctos iter humanissima liberalitas, qua non solum viaticum amplum, navigium ex præsenti copia optimum, cunctaque id genus quæ erant ex usu amantissime providisti, nodos interim omnes et moras negotii, eminente semper auctoritatis tuæ favore amputans; sed ad gratiæ cumulum dona præterea multa pretiosa adjecisti, quibus hujus terræ principum necessariam nobis benevolentiam pararemus.

Cum his salvi atque incolumes, Deo juvante, XVIII. Kalend. Septembris, fausto et auspicato die videlicet Assumptæ in cœlum Deiparæ sacro, appulimus Cangoximam, patriam Pauli *Sanctæ Fidei;* cujus gratia a præfecto loci et ædile

universoque populo sane amanter sumus excepti. Pauli ejusdem fidi nostri comitis statim emicuit religionis haud ficte susceptæ zelus. Noctes diesque totas parentibus, cognatis, amicis omnis ætatis, sortis ac generis, proponere Christi doctrinam ac suadere instititit tam efficaciter, ut jam quando hæc scribo, matrem et uxorem, cognatos cognatasque ac consanguinitatem universam utriusque sexus, cæterorumque amicorum ac veterum familiarium non exiguum numerum christianos effecerit.

Est hæc terra, quantum hactenus potui perspicere, ita nunc apte ac tempestive disposita ad excipiendos cœlestis doctrinæ satus, ut ex ea, si cultura non desit, uberes jure optimo sperentur fructus animarum. Natio hæc est hominum, in qua vel plurimum supra perturbationes ratio valet; nec quæ peccant plurima contra recti judicii auctoritatem præscribunt : errant enim fere per ignorantiam, ut appareat emendaturos si doceantur. Itaque imperium rationi suum mali etiam mores quodammodo integrum relinquunt, dum non palam contra ejus interdictum usurpantur, sed precario et furtim, ac quasi citra præjudicium obrepunt; quare licentia obsequendi vitiis, nequidquam reclamante ratione, non adeo in hac gente usu invaluit, ut ubi scienter inverecunda passim malitia peccatur.

Iremus jam nunc Meacum, ubi Japoniæ imperator et præcipui gentis principes degunt, si tempestivitas ventorum ferret. Aiunt post quinque

hinc menses statum exspectari etesiarum eo ferentium exortum: tunc, si Deus dederit, illuc navigabimus. Quæ multa et mira de illa regia Japoniæ civitate celebrantur, iis plenam adjungam fidem si præsens perspexero. Sex et nonaginta millia domuum in ea censeri referunt. Duo Lusitani qui ibi fuerunt, quorum unus adhuc in Japonia versatur, aiunt sibi videri Meacum urbem Ulyssipone ampliorem. Ædes omnes e materia sunt, contignationibus et tabulatis more nostrate surgentibus exstructæ. Anno si Deus annuerit sequenti, ex præsenti de his experientia copiosis ad te litteris disseram. Magna mihi spes e Christi Jesu propitio favore animum complet, fore ut magna Japoniæ pars, ob eam, de qua dixi, rationis ad liquidum perspectæ in hac gente auctoritatem, nostram sanctam religionem amplectatur.

Atque hujus, qui tam verisimiliter exspectatur, ingentis fructus bona pars liberalitati et humanitati illi tuæ imputabitur, qua nos et voce atque opera coram, et scriptis quo fuit opus efficacibus mandatis, et donis ex tua copia speciosis conferendis, quibus regis Japoniæ gratiam eblandiamur, hoc nostrum consilium Christi legis in hoc regno promulgandæ, ex infinitis et nostræ imbecillitati insuperabilibus difficultatibus explicasti: quæ res facit ut, cum Dei auxilio, confidam per te absolvendum et in pleni successus promovendum lucem, quod dominus Comes Almirantes pater tuus olim inchoaverat; tanto ma-

jori apud Deum tuo merito, quod ille navigationum ad Orientales hos populos vel institutarum, vel frequentatarum, non alium fere quam quæstus temporarii Lusitano regi fructum attulit. Tu longe felicior, hac nostra tam benevole navigatione juvanda, æternam amplificationis regni Christi et propagationis divinæ gloriæ utilitatem procurasti.

Hoc scribo ut intelligas quam obstrictus Deo sis, qui te ad rem tantam elegerit, et istud tam laudabile nostræ sanctæ religionis per has oras dilatandæ propositum, menti penitus tuæ inseverit. Nec deerit, mihi crede, quin primum quærenti Dei regnum humanæ accumulentur opportunitates. Regi enim quoque, nisi fallor, et regno, quorum rationes summa fide ac diligentia procuras, uberes proventus nostra hæc japoniensis expeditio promittit.

Sacaium est civitas maritima, princeps emporium Japoniæ, itinere bidui Meaco distans. In ea urbe, Deo juvante, facile impetratu erit ut detur jus domicilii procuratoribus regis Lusitaniæ, facultasque ædificandi apothecas ubi merces indicas europæasque custodiant, donec eas per otium commutent cum pretiosissimis quibusque japonicæ terræ metallis, artificiis et fructibus, argento præsertim atque auro, quæ ex omnibus ferme hisce insulis in hunc ditissimum illorum tractuum portum maxima copia vænum importantur. Id quo facilius commercium utrimque quæstuosum ineatur, suadere conabor regi Japoniæ

ut legatum in Indiam mittat, qui spectata illic abundantia rerum ad vitæ usum opportunissimarum, quibus caret Japonia, desiderium earum suis rediens moveat, et sic eos proniores ad mutui mercatus conditiones admittendas reddat: unde fiat ut non ægre inter Indiæ proregem et regem Japoniæ conveniat, tum de cæteris legibus commercii, tum proprie de portorio ac scriptura Lusitanici fisci Sacaii, uti dictum est, constituendis.

Multum confido in Domino Jesu fore ut ante duos annos scribam tibi habere nos Meaci templum Deo dicatum in honorem Sanctissimæ Deiparæ Dominæ nostræ; ut qui deinceps in has insulas navigabunt, in horribilibus illis Sinici archipelagi procellis invocare possint Divam Virginem Meacensem. Quod si tantum mihi fidei tribueres, ut sumere me sineres officium procuratoris in his locis tui, spondere ausim effecturum me ut quamcumque rei ac pecuniæ tuæ partem mihi commendatam hoc nomine volueris, eam tibi plus quam centuplicato fœnore auctam repræsentem, idque lucro a periculis itinerum et naufragiorum plane securo, certæ mercaturæ felicitate, quali nullus ante te præfectus Malacæ innocentius uberiusque lucrum fecerit.

Scire aves quod hoc genus sit compendiosissimæ nundinationis? Missis ambagibus dicam. Induc, sodes, in animum largiri nobis quod dividamus egentibus harum terrarum christianis qui modo sunt, et qui mox fient. Hujus sic colloca-

tæ sortis præsto, fidejussore Christo, plus quam centuplum in cœlo tibi reddendum, non obnoxium ventorum aut fluctuum incerto, neque armis insidiisve piratarum. Hæc scribens verebar ut satis parato in præsens esses animo ad istam jaciendam sperandæ commutationis aleam, qua nihil tamen est securius. Scio vos præfectos Malacenses excelsis animis, quamquam satis alioqui experrectis ad lucrum, hanc tamen certissimam artem utilissimi compendii plerumque negligere solere.

Latro navarchus noster hic Cangoximæ diem obiit. Inservivit nobis ex animi fere nostri sententia navigatione tota; nec nos tamen ei reddere vicem in portu atque in morte potuimus. Ipsi enim mori libuit in superstitione sua, neque illud saltem nobis reliquum fecit, quo aliis amicis in christiana professione defunctis referre post mortem gratiam possumus, commendando eorum animas Deo; quando miser suam animam in infernum projecit, ubi nulla est redemptio.

Multi hinc Japones ad vos navigant, ad id consilium impulsi sermonibus Pauli nostri mira de Lusitanorum virtutibus narrantis. Oro et obsecro te per quantum Deo debes et tuæ nobilitati, excipe illos honorifice ac liberaliter, et da operam ut apud Lusitanos copiosos et honestos, a te jussos omnem illis humanitatem exhibere, splendide commodeque diversentur. Magno id illis (mihi crede) invitamento erit ad Christi religionem amplectendam, si vera de

Lusitanis retulisse Paulum experimento ipsi proprio compererint.

Dominicus Diazius, cui has committo tibi reddendas litteras, amicus meus summus est, nec minus mihi carus quam ipse me diligit. Humanitas enim ejus, et in nos benignitas, per assiduam consuetudinem longæ navigationis continuis officiis perspecta mihi est. Singulari me beneficio affeceris, si homini de me optime merito, quam deberi a me profiteor nec exsolvere possum, tu gratiam rependeris.

Deus Dominus noster dies vitæ tuæ in multos propaget annos, teque salvum et florentem, ut tu et domina uxor tua optatis, in Lusitaniam reducat. Vale.

Cangoxima. Nonis Novembris Anno MDXLIX.

Tuus in Christo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VII.

Societati Goam.

Res a se Cangoximæ et Amangucii gestæ, iter Meacense, et Amangucium regressus; ubi, devictis bonziis profligatisque quæstionibus, christianam fidem egregie tuetur, probat, persuadet. Japones discendi avidissimi, Sinarumque sapientiæ probatores.

SUPERIORE anno, Fratres charissimi, de nostro itinere, adventuque in Japoniam, rebusque e re christiana gestis ad vos scripsi Cangoxima; nunc quid ex eo tempore Deus per nos gesserit, exponam.

Ad Pauli nostri patriam cum pervenissemus, ab ejus cognatis ac necessariis accepti sumus perhumaniter. Hi Pauli sermonibus adducti, Christo se aggregarunt omnes. Itaque ut nostræ religionis veritatem perspicerent, annum totum ibidem eoque amplius commorati sumus, quo temporis spatio ad Christi ovile compulsi amplius centum. Ac reliqui idem facere si vellent, sine ulla fere parentum ac propinquorum offensione potuissent.

Verum bonzii regulum (is est multorum oppidorum dominus sane potens,) commonefecerunt eique denuntiarunt, si suos populares Christi

religionem suscipere pateretur, ditionem ejus universam interituram: patrios deos (*Pagodes* vocant) in contemptum indigenarum esse venturos: legem quippe divinam Japonicis legibus esse contrariam: quocirca futurum ut qui eam amplecterentur, sacrosanctos avitarum legum latores repudiarent, id vero sine magna oppidi ac ditionis pernicie fieri non posse: quare respiceret sanctissimos illos Japonicarum legum auctores; et quoniam divinam legem avitæ adversariam atque inimicam esse sentiret, ediceret morte proposita ne quis in posterum fieret christianus. Hac oratione commotus, regulus uti bonzii postularant edixit.

Hoc interim spatio nos in neophytis erudiendis, japonica lingua discenda, christianæque fidei capitibus japonice vertendis operam posuimus. Ac de mundi procreatione breviter attingebamus ea, quæ hisce hominibus opportuna videbantur: veluti Deum hujus universitatis opificem ac procreatorem esse, quod illi funditus ignorabant: itemque cætera ad salutem necessaria, præcipue vero Deum humanam induisse naturam. Quamobrem omnia quæ in Christi vita elucent mysteria, usque ad ejus in cœlum ascensum novissimique Judicii rationem, tradebamus diligenter.

Eum jam librum japonice magno labore conversum nostratibus litteris mandavimus. Hinc deinceps illa quæ dixi ad Christi fidem accedentibus recitamus, ut neophyti rationem teneant Dei ac Jesu Christi pie ac salutariter colendi,

Ea nos secunda concione cum exponeremus, magnam ex iis christiani ceperunt animis voluptatem: quippe qui ea, quæ a nobis dicerentur, plane vera esse intelligerent. Omninò Japonum ingenia eximia sunt, et mire obedientia rationi; divinam legem veram, avitam ipsorum falsam esse plane vident; sed a christiana religione suscipienda reguli metu deterrentur.

Vertente anno, cum oppidi dominum nostræ religionis amplificationi omnino adversari videremus, constituimus alio demigrare. Itaque neophytos valere jussimus, qui, pro suo erga nos amore singulari, flentes, maximasque nobis agentes gratias quod tanto labore nostro æternæ salutis iter eis commonstrassemus, ægre admodum nostrum discessum tulerunt. Reliquimus apud eos Paulum eorum civem, eumdemque christianum egregium, qui neophytos christianis præceptis expoliret.

Inde nos in aliud oppidum profectos dynasta perhumaniter accepit, ubi dies aliquot commorati Christo adjunximus fere centum. Nemo tamen nostrum japonice sciebat; nihilo secius semijaponico illo volumine recitando et sermonibus ad populum habendis, eorum complures ad Christi cultum traducebamus.

Cosmo Turriano his neophytis præsidere jusso, ego cum Joanne Ferdinando Amangucium (Yamagutchi), regis (ut captus est Japoniorum) sane opulenti sedem contendimus. Ea urbs familiarum amplius decem millibus continetur, tota

domibus ligneis constat. Hic plurimos offendimus tum e plebe tum e nobilitate, christianæ legis cognoscendæ percupidos. Itaque cum optimum factu statuissemus in compitis ac triviis bis in die concionari, nostri illius libri capita pronuntiantes, de Christi religione ad populum verba faciebamus.

Dynastæ etiam nonnulli domum suam nos invitabant, ut commodius de nostra religione cognoscerent; atque ultro pollicebantur, eam se sua meliorem si censuissent, sine ulla dubitatione suscepturos. Ac multi nostros sermones de lege divina sane libenter audiebant; alii contra iniquis ferebant animis, ultro etiam quæ dicebantur irridebant. Ergo quoties per urbis vias ibamus, toties nos magna puerorum atque infimæ fæcis multitudo irridens atque illudens, ejusmodi vocibus prosequebatur: *En qui divinam nos legem, ut salvi simus, suscipere jubent; propterea quod ab interitu vindicari nisi per omnium rerum Effectorem ejusque Filium non possimus. En qui plus una uxore habere nefas esse prædicant.* Consimili modo reliqua nostræ religionis capita inculcabant per ludum ac jocum.

Dies jam aliquot posueramus in hoc concionatorio munere, cum regis qui tum in urbe erat accersitu ad eum venimus. Percontanti unde tandem essemus, cur in Japoniam venissemus, respondimus nos Europæos esse, eo missos divinæ legis prædicandæ gratia: quippe cum nemo, quin Deum ejusque Filium Jesum Christum

omnium gentium vindicem ac Salvatorem caste pieque coleret, salvus atque incolumis esse posset. Tum ille divinam sibi legem exponi jussit. Quare bonam voluminis partem recitavimus; et quamdiu de scripto diximus (diximus autem horam eoque amplius), diligenter ab eo attenteque auditi sumus, atque ita dimissi. In ea urbe dies permultos morati, in viis ac triviis verba fecimus ad populum. Complures avide præclara Christi facta audiebant; cumque ad acerbissimam ejus cædem ventum erat, lacrymas tenere non poterant; verumtamen christianis sacris initiabantur admodum pauci.

Ergo cum exiguus nostrorum laborum ibi fructus exstaret, Meacum urbem totius Japoniæ (ut dixi) celeberrimam perreximus. Menses in itinere posuimus duos; multis periculis, quod per regiones bellis flagrantes transeundum erat, perfuncti sumus. Mitto summa locorum illorum frigora, et vias frequentibus latrociniis infestas.

Meacum ut venimus, dies aliquot exspectavimus, dum facultas esset adeundi regis, petendique ab eo ut divinam legem in suo regno nobis liceret divulgare; sed omnes ad eum aditus penitus clausos offendimus. Itaque ut regis imperia a regulis et dynastis contemni solita accepimus, consilio veniæ ejusmodi petendæ abjecto, civium animos ac sensus tentare atque explorare placuit, ut perspiceremus quam esset ea civitas ad Christi cultum recipiendum accommodata.

Verum quod cives in armis essent gravique urgerentur bello, tempus ab Evangelii prædicatione alienissimum judicavi. Meacus urbs olim fuit amplissima; nunc propter assiduas bellorum calamitates, magna ex parte eversa atque vastata est. Quondam (ut aiunt) tectorum millibus centum octoginta constabat. Id sane mihi verisimile videtur, murorum enim circuitus longe maximam fuisse urbem declarat. Nunc etsi magna ex parte eversa est, tamen domorum millia continet amplius centum.

Cum neque pacatam neque ad Evangelium paratam sensissemus esse Meacensem civitatem, Amangucium remigravimus, regique litteras, ac munera amicitiæ causa ab Indiæ prorege, et Goano episcopo missa reddidimus. Rex et donis et litteris admodum delectatus, ut nos remuneraretur, magnum nobis auri argentique pondus obtulit. Quibus nos muneribus remissis, eum rogavimus ut si quod munus advenis hominibus gratum dare vellet, divinæ legis in sua ditione nobis promulgandæ, suis popularibus suscipiendæ faceret potestatem: hoc munere nihil gratius accidere nobis posse. Id ille libentissime largitus est.

Ergo edicta celeberrimis urbis locis proposuit, quibus edicebat placere sibi cœlestem legem in sua ditione promulgari, eamdem iis qui vellent suscipere licere; et simul vacuum cœnobium nobis ad habitandum attribuit. Huc ad nos novæ religionis cognoscendæ causa multi ventitabant.

Bis concionabamur in die; concionem semper excipiebat concertatio de religione bene longa. Proinde perpetuo aut in sermonibus habendis, aut in quæstionibus profligandis eramus occupati. Concionibus sæpe intererant bonzii multi, aliique e nobilitate ac plebe quamplurimi. Semper fere domus erat hominibus referta, sic ut interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Percontantium tanta vis fuit, ut ex responsis plane et legum suarum latorumque falsitatem, et christianæ legis veritatem intelligerent. Post multorum dierum certamina et interrogationes, denique victi manus dare, et ad Christi fidem se conferre cœperunt.

Omnium autem principes exstiterunt ii, qui in concertationibus percontationibusque acerrimos sese præbuerant adversarios. Horum permulti honesto erant loco nati, qui Christi religione suscepta, usque eo nobis amici repente existebant, ut nullis verbis id exsequi possim. Ac novi christiani fidelissime japonica mysteria, aut ineptias potius, enuntiabant. Nam, ut initio dixi, sectæ Japonicæ sunt numero novem, quæ præceptis atque institutis valde inter se discrepant. Perspectis earum sectarum opinionibus, ad eas refellendas argumenta conquirere cœpimus. Ergo quotidie interrogationibus et argumentis bonzios veneficos, cæterosque christianæ legis hostes acriter urgebamus, sic prorsus ut illi demum adversus redarguentium voces hiscere non auderent. Christiani cum bonzios viderent convictos

reticere, gaudebant scilicet et quotidie magis confirmabantur in Christi fide.

Ethnici autem qui concertationibus aderant, in suis religionibus valde nutabant, cum avitas disciplinas labare cernerent. Enimvero id bonzii iniquo ferebant animo; cumque ipsi concionibus interessent, ac cernerent multos fieri quotidie christianos, eos graviter accusabant quod, avita religione deserta, sequerentur novam. Quibus illi respondebant se christianam legem amplecti, quod eam judicarent magis naturæ consentaneam esse quam suam, quodque nos ipsorum interrogationibus satisfacere viderent, eos nostris non item.

Sunt omnino Japones natura curiosi, discendique avidi ut qui maxime. Itaque cum aliis de suis interrogationibus nostrisque responsis, nunquam agere desistunt. Res novas, de religione præsertim, audire vehementer expetunt. Atque ante nostrum quidem adventum perpetuo, uti accepimus, pugnabant inter se, cum suam quisque sectam optimam esse contenderent; sed posteaquam nos audierunt, certamine de suis disciplinis ac religionibus omisso, de christiana lege certare cœperunt universi. Ac permirum est in tam ampla civitate omnibus in tectis ac locis divinam legem omnium sermone celebrari. Horum ego percontationes persequi si vellem, finem scribendi nullum facerem.

Magna est Japonum opinio de Sinarum sapientia vel in mysteriis religionis, vel in moribus

atque institutis civilibus. Itaque illud præcipue urgebant, si ita res esset uti nos prædicaremus, quî fieret ut id Sinæ ignorarent?

Post multas percontationes ac disputationes, Amanguciani ad Christi Ecclesiam aggregari cœpti partim e plebe, partim e nobilitate; ac mensium duorum spatio facti sunt christiani facile quingenti, atque hic numerus augetur in dies: ut magnopere lætandum, Deoque gratulandum sit tam multos esse qui Christi religionem amplectantur, quique bonziorum fallacias librorumque suorum atque sectarum mysteria enuntient. Nam qui Christo se adjunxerunt, alii aliam disciplinam sequebantur, ex quorum numero eruditissimus quisque exponebat disciplinæ suæ instituta ac præcepta nobis. Horum studia si mihi defuissent, haudquaquam nefarias Japonum religiones satis cognosse et oppugnare potuissem.

Christiani incredibile est quam nos diligant: domum ad nos ventitant rogatum ecqua in re ipsorum opera uti velimus. Sane Japones omnes natura officiosi videntur; christiani quidem certe (quæ ipsorum benignitas est) humanissimos se nobis et officiosissimos præbent.

Deus et illis pro sua misericordia referat gratiam, et nobis pariter cœlestem impertiat felicitatem.

An. MDL. Amangucio.

EPISTOLA VIII.

Quibusdam mercatoribus.

Officiosa epistola, et commendatitia mercaturæ omnium quæstuosissimæ.

QUOD hujus inscriptio epistolæ vestra, quibus mittitur, de more nomina non præfert, minus mirabimini, cum quod res est scietis, hanc ipsam mihi fuisse scribendi causam ut ea cognoscerem. Oro ergo vos ne gravemini edere qui sitis? quo nomine vocetur quæ vos huc advexit navis? Aveo etiam nosse Malacæ quid agatur? pacatane illic et tranquilla cuncta reliqueritis solventes? Hæc brevi ad nos rescripto, peto, dignemini exponere.

Atque interim quæso boni consulatis, suggerere me vobis ut aliquantum temporis occupationi vestri negotii suffuremini, quod recognitioni conscientiæ impendatis. Mihi credite, ista demum est mercatura longe omnium quæstuosissima, ex qua lucrum provenit haud paulo et uberius et certius, quam ex commutatione mercium Europæarum cum velleribus aut pannis sericis Sinensium; utcumque ista negotiatione fructus pecuniæ ipsi sorti ac capiti æquetur.

Cogitabam, si Deus annuerit, vestris litteris acceptis, continuo istuc excurrere ad salutandos vos. Deus Dominus noster pro sua immensa clementia teneat nos semper omnes sua divina manu, et nos conservet in hac vita per suam gratiam constantes et fixos in obsequio suæ supremæ Majestatis.

Amangucio Kal. Septembris An. MDLI.

Frater in Christo vester.

FRANCISCUS.

EPISTOLA IX.

Sociis Malacam.

De accuranda sua in Indiam navigatione.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

QUADRAGESIMA lux est, cum ex Japonia solvimus, ubi res christiana, Deo favente, mirandum in modum propagatur. Quos mecum adduxeram Socios, omnes Dei beneficio incolumes Amangucii (quæ urbs perampla est, regni

caput,) præsidio reliqui Amangucianis, quorum plurimi jam ad Christi fidem accesserunt, multi etiam accedunt in dies.

Reliqua coram vobis exponam. Comparate, quæso, aliquid nobis ex iis quæ sunt ad Indicam navigationem necessaria; et simul curate ut aliqua ex Indicis navibus nostrum præstoletur adventum. Permagni enim refert ad Christi Domini gloriam salutemque animarum, me protinus istinc in Indiam pergere. Joannem Bravium cum responsis ad mea mandata huc ad me mittite quamprimum. Mox ego vobis res Japonicas commemorabo, quas gratissimas jucundissimasque fore certo scio. Sed hactenus Deus nobis adsit omnibus! Amen.

Anno post Christum natum MDLI. ex freto Syncapurano.

Franciscus.

S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLARUM

LIBER OCTAVUS.

EPISTOLA I.

Meo in Christo sancto Patri Ignatio.

Ignatii litteræ Xaverio jucundissimæ; Xaverii de se animi sensus, et Ignatium videndi desiderium. Rectorem Goano collegio, et Japoniæ academiis viros mittendos virtute ac doctrina præstantes. Ærumnæ, labores, pericula in Japonia; Amanguciana Ecclesia; Japonum et Sinarum indoles, doctrina, litteræ, religio. Ignatii et Societatis universæ preces implorat.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

VERISSIME Pater mi, accepi modo Malacæ, huc appellens e Japonia, litteras tuæ sanctæ charitatis; quæ quoniam de vita ac valetudine tam cari ac venerabilis mihi capitis quod

optabam docuerunt, scit Deus Dominus noster quanta meum animum voluptate compleverint.

Multas equidem in iis jucunde legi suavitatem spirantes tuam pietatemque sententias: quas et identidem fructu animi mei præcipuo retracto mente versans, et quodammodo regusto; præsertim autem illa extrema verba, quibus velut charitatis quodam sigillo epistolam obsignasti: *Totus tuus, adeo ut nullo unquam tempore oblivisci tui possim. Ignatius.* Quæ ego ut illic cum dulcissimis lacrymis legi, ita et flens hic describo, revocans suavissimam memoriam temporis elapsi, et illius sinceri ac sancti amoris, quo me semper amplexus nunc quoque prosequeris; prætereaque reputans me ex tot illis atque ingentibus laboribus periculisque Japoniæ a Deo, tuis potissimum precibus inflexo votisque in me paternis obsecundante, fuisse liberatum.

Nunquam exprimere scribendo possem quantum debeam Japonibus, quandoquidem in eorum gratiam Dominus noster clara me notitia intime imbuit innumerabilium culparum mearum. Nam hactenus evagans extra me, quamdam velut abyssum malorum in mea conscientia penitus conditam non perspexeram: quoad in illis ærumnis et angoribus Japoniæ apertis aliquando mentis oculis, dedit mihi bonus Dominus manifeste cernere, ac quasi præsentis experientiæ sensu tangere, quam valde necessarium mihi sit existere aliquem qui perattentam perque sedulam mei curam gerat.

Videat igitur quid agat tua sancta charitas, dum tam sanctas animas patrum ac fratrum Societatis, qui in his degunt regionibus, gubernationi meæ subjicis. Mihi vero per solam Dei misericordiam modo evidenter innotuit tam male me paratum rebus ad istam præfecturam bene fungendam necessariis, ut sperare potius debuerim commendari a te curæ ac providentiæ fratrum meorum, quam ipsos mihi committi regendos.

Adjungit deinde tua sancta charitas ingenti desiderio teneri te videndi me adhuc semel ante finem hujus vitæ. Novit qui mei pectoris intima pervidet Dominus noster, quam vehementem quamque dulcem impressionem teneri affectus animo penitus meo insinuaverit hæc ita blanda significatio præstantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem sæpissime), injussæ mihi lacrymæ oculos complent, nec possunt teneri quin suaviter erumpant ad solam illam mihi jucundissimam speciem, quæ obversatur cogitanti, fieri posse ut te iterum amplectar: quod etsi video difficillimum, tamen nihil est quod sancta obedientia efficere nequeat.

Per studium, quo ardenti flagras obsequendi ac gratificandi Deo Domino nostro, unam a te peto gratiam, quam si præsens adessem, positis humi ante tuos sanctos pedes genibus supplex rogarem; ea autem est ut huc mittas virum aliquem tuæ sanctæ charitati penitus perspectum

et plane probatum, rectorem præficiendum collegio Goano: nam homine quem tu elegeris, quemque manu, ut sic dicam, ista tua idoneum formaveris, vehementer eget id collegium.

Cur omnino arbitrer necessarium destinari huc a te viros præstantes, et supra vulgarem modum virtute ac doctrina præditos, ad academias Japoniæ mittendos hæc causa est, quoniam qui sunt illic expertes litterarum, sed alioqui prudentes homines, cum de suis erroribus convincuntur, eo se recipiunt ut dicant esse in sua quoque gente doctorum virorum copiam, qui totam vitam exquisitis commentationibus et infinita lectione transegerunt. Eos, quoniam quæ nos affirmamus pernegant, prius esse revincendos adjungendosque nobis, ut sic recte possint qui eorum auctoritate nituntur et ipsi accedere: en cur litteris ac doctrina opus sit.

Constantia vero ac patientia insignis virtutumque cunctarum cumulus plane requiritur in iis qui tantis se dimicationibus objecturi sunt. Venient siquidem pauci et inopes advenæ contra nomen universum ac famam gloriosæ, ac multa sui rerumque suarum admiratione subnixæ nationis, quæ tota in ditione bonziorum est, primas illic dignitatis existimationisque tenentium: quod qui audeant, palam est multa passuros, ubi eos undique, quos irritaverint, crabrones incesserint; neque laturos impune simul, quod primum et necessario faciendum, bonziorum sophismata dissolverint, mendacia redarguerint, sordes et arca-

nas artes, quibus plebem credulam pecunia emungunt, in lucem protrahere publicam cœperint.

Equidem ex iis quæ sum expertus illic præsens, videre jam hinc videor vesani sacrificuli quam impotenter erupturi sint, cum aderit coram qui negare in os ipsis sustineat posse illos, quod gloriantur, arcanis sacris eruere flammis addictas jam orco animas: cujus ridiculæ jactantiæ, si palam falsitas coarguatur, quæstus eorum pars maxima perierit. Cum vero sodomitica flagitia, quam illi abominandam obscœnitatem in ludi ac prope laudis parte numerant, meritis objurgationum aculeis configentur, nempe istos velut compunctos stimulo in suis lutulentis lacunis immanes apros, ruituros impetu vesano ad eos dirumpendos, qui margaritas ante ipsos projecerint, est consentaneum.

Quare, ut dixi, horum hisque similium promulgatores illic dogmatum deesse non poterit quin acriter oppugnentur, direque vexentur, ut animæ ipsis suæ, juxta Evangelicum verbum, in sua sibi duntaxat possidendæ patientia sint: qua propterea egregie instructos, firmiterque præmunitos esse oportet, qui ad ea discrimina se objicient. Scribo itaque ad Patrem Simonem, aut eo absente ad rectorem collegii Conimbricensis, ne ullos huc ad Japonicas academias ituros mittat, quos tua sancta charitas non viderit, planeque perspectos probaverit.

Iterum atque iterum dico, majoribus quam vulgo creditur certaminibus et ærumnis exerce-

buntur. Adibuntur importunissime; nullam diei nec interdum noctis horam a molestissimis interpellatoribus vacuam habebunt; interrogationibus aliis super alias sine fine urgebuntur; vocabuntur a principibus viris, quibus negare nefas sit. Subtrahetur per hæc quotidianis orationibus, meditationibus, receptui mentis ad Deum, et spiritualibus id genus exercitiis tempus; non vacabit Missam celebrare. Saltem primis quibus ibi conspici cœperint diebus, præ turba sciscitantium, quos repellere non expedit, vix persolvendi pensi Ecclesiasticarum precum, vix cibi somnique capiendi spatium erit. Nationis id vitium ejus est, nulla verecundia negotium facessere hospitibus præsertim et peregre appulsis, qualibus fere contemptim utuntur et proterve illudunt, etiam innoxiis et nulla re molestis.

Quod si jam iidem, quæ Japoniis sunt sanctissima, insectari et incomitiare audeant; si in sectas superstitionum invehantur; si vitia publica sale satyrico non parce defricent, virgula censoria non perfunctorie feriant; simul præfracte negaverint eos, qui semel infernis addicti sint ignibus, ex iis ullo posse piaculo, ulla viventium amicorum aut parentum largitione aut religione liberari: magnam statim procellam invidiæ subeant necesse est, indignaturo passim optimo quoque in eos qui de carorum ipsis jam defunctorum animabus tam dure sentiant, plerisque novam religionem velut infirmam imperfectamque contempturis, quod ultro fateatur nihil se

remedii semel damnatis habere quod afferat. Talium curæ rerum et hujus generis ibi quæstiones agitantur, idcirco quod in illius gentis litteris et traditionibus antiquis multa inferni mentio est: purgatorii, admodum nulla.

Hæc cum ita sint, res ipsa loquitur opus illic esse robustis ingeniis, exercitatis in dialectica, populari facundia disertis, agilibus ad quocumque sequendum et prævertendum errantes, qui plausibiliter valeant fucatis veri specie mendaciis larvam detrahere, retexendis sophisticis argumentationibus, et falsorum dogmatum inconstantia, ac secum collisione demonstranda. Erubescunt enim et incredibiliter confunduntur isti bonzii, ubi male cohærere, ac pugnare inter se ea quæ docent palam ostenditur, aut quando ita constringuntur ratiocinatione necessaria, ut expedire se nequeant.

Ad has dotes animorum accedat oportet robur corporum, par ferendis algoribus rigidissimarum hyemum. Nam Bandus, academiarum Japoniarum primaria, in partibus earum insularum maxime septentrionalibus sita est, nec multum inde absunt academiæ cæteræ, compertumque illic est solertia ingenioque fere præstare qui sub cœlo frigidiori nascuntur. Victum quod attinet, unica fere oryza annonam conficit: etsi reperitur et aliquantum tritici, nonnullaque olera, legumina, cibique ejus generis, tenuis omnes nec valde salubris succi. Vinum aliud non habent, quam quod ex oryza exprimunt arte quadam, perrarum

et idcirco supra modum carum. Maximum tamen incommodorum est anxietas continua in periculis vitæ quotidianis.

Non sunt apti ad hujus terræ culturam senes, utique quibus deessent vires ad necessarios labores; nec adolescentes, nisi si quibus defectum ætatis virtutum magnitudo manifestis experimentis perspectarum suppleret: alioqui potius quam aliis prosint, se ipsos perderent. Peccatorum omnis generis irritamenta illic et occasiones sunt. Præterea teneriores ibi quam usquam animi hominum facillime offenduntur quavis specie minus recti exempli in iis exstante, qui se aliorum censores ferunt.

Hæc ita minutim, ut dixi, scribo Magistro Simoni, aut ejus vice rectori Conimbricensi. Gratissimum mihi esset, si tua sancta charitas scribere Conimbricam dignaretur, ut quos destinarent in Japoniam prius ad te Romam mitterent.

Veniebat mihi in mentem, aptos ad eam expeditionem videri fore Belgas, aut Germanos, qui Castellanam aut Lusitanam linguas nossent. Utrumque id genus tolerans laborum est, tum naturali habitu et educationis usu duratum ad patientiam Bandensium frigorum. Verisimile putabam non paucos ex hisce nationibus duabus in variis Hispaniæ collegiis et Italiæ vivere, in quibus forte multum utiles non sint, quod nativa elegantia popularis linguæ careant; qui si transferrentur in Japoniam, excellenter ibi ope-

ram navarent, et magnis se fructibus commendarent.

Putavi præterea suggerendum sanctæ charitati tuæ ut, si tibi videretur, juberes haberi severiorem delectum eorum, qui ex collegiis Hispaniæ et Lusitaniæ mittuntur in Indiam ibi victuri. Præstaret duos tantum anno quolibet huc solvere, dum tales essent quales hæ regiones requirunt: primum satis provectos in perfectione spirituali, postea et doctrina et facundia præditos, quanta opus est ad concionandum et confessiones audiendas. Et hos cuperem tuo jussu peregrinari Romam, antequam ad nos navigent. Nam et istæ itinerum probationes ad eos formandos conferunt, quid possint ipsis ostendunt, ad labores durant, adversus pericula futura præteritorum innoxie aditorum recordatione confirmant; denique sic consequemur, ut hic in concursationum apostolicarum sudoribus novi non sint, quales deprehenduntur qui sedentes huc nave delati e patria unde nunquam exierunt, campestrium peregrinationum usum nullum habent.

Sane tot hic illecebræ ad mollitiem, tanta tamque pellacia non modo ad cessationem atque desidiam, sed etiam ad nequitiam invitamenta sunt, ut eorum virtus, qui hisce animarum periculis objiciendi sunt, exquisitis prius experimentis probanda videatur; ne si qui minus idonei obrepserint, pro sperata nobis consolatione ipsorum adventus et convictus, negotium potius molestissimum facessant, ea committentes ob quæ ipsos

e Societate amandare sit necesse. De his videat, quæso, tua sancta charitas an e re sit Magistrum Simonem per te admoneri.

Neque qui e Societate nunc sunt Amangucii, neque qui, cum hic jam versentur in Indiis, anno proximo vel aliis consequentibus, si Deus volet, in Japoniam ituri sunt, idonei mihi videntur, qui mittantur ad illas academias. Verum hi vacabunt interim addiscendæ linguæ, cognoscendisque dogmatibus sectarum, ut cum venerint ex Europa quos exspectamus e sinu tuo Patres, domesticis ipsis et fidis uti possint interpretibus in concertationibus adversus bonzios.

Verisimilis mihi spes est profecturam plurimum et large amplificandam Amangucianam Ecclesiam. Sunt enim jam ibi christiani multi, et inter illos non pauci valde boni, ac novi quotidie plurimi catechizantur et baptizantur.

Vivo in spe magna fore ut Deus Dominus noster nobis servet Patrem Cosmum Turrianum, et Joannem Fernandez, nec sinat ab idololatris interfici, primum quia prima et præsentissima periculorum jam videntur evasisse, furiis illis bonziorum prima offensione inflammatis mora dehinc mitigatis, et sensim consenescentibus. Deinde quia multi, ut dixi, ibi christiani sunt, et inter eos non pauci dignitate et auctoritate præstantes, qui magno studio invigilant diu noctuque conservationi nostrorum. Joannes Fernandez, etsi nihil nisi laicus est, tamen quod expedite utitur lingua japonica, et quidquid illi sug-

gerit Pater Cosmus Turrianus apte ac diserte in eam transfert, utilissimus est illic. Nunc totus est in explicandis quotidiana ad populum dictione omnibus mysteriis vitæ Christi.

Quoniam eam perspexi in Japonibus indolem, ut et religionem christianam satis ipsis ostensam facile probaturi, et semel susceptam tuituri constanter, atque in posteros perpetuaturi videantur, in eorum cultura quantosvis labores bene collocatos puto. Quo in sensu reficit ac consolatur me spes, quam in tua sancta charitate repositam habeo, confidere me jubens mittendos huc a te sanctos aliquos Patres, quos recte Japonicarum superstitionum magistris possimus opponere. Id faciendi præcipua tibi causa sit excellentia quædam nationis Japonicæ, mihi perspecta supra cæteras hactenus in hisce tractibus detectas. In quarum nulla, quæ quidem suis legibus vivat et regi Lusitaniæ non sit subdita, satis verisimiliter videtur sperari posse Christi religionem perenni firmitate radicandam. Una ex omnibus et sola, quantum sapio, Japonia videretur inconcussam æternamque servatura christianæ sanctitatis professionem, si eam semel arripuerit: quod utique non sine ingentibus evangelicorum præconum ærumnis ac contentionibus eventurum est.

Sina, quæ regio est patens latissime, pacatissima, temperata magno numero exquisitarum legum, uni paret monarchæ cui ad nutum obeditur. Opulentissimum est regnum, cunctis ad vitam humanam necessariis abundans. Freto

modico dirimitur a Japonia. Gens pollet ingenio et studiis insudat, legum præsertim et jurisprudentiæ humanæ, politicæque rationis, cujus exquisite pernoscendæ ingenti plerique cupiditate flagrant. Vultus illis candidi, imberbes, oculi parvi, liberalis plerisque indoles. Pace in primis gaudent, quæ fundatissima sine ullo belli metu inter ipsos viget.

Nisi quid novi obstaculi supervenerit quod iter destinatum intervertat, spero me hoc anno, secundo et quinquagesimo supra sesquimillesimum, navigaturum ad Sinas, quo me vocat spes operæ ad ingens Dei obsequium navandæ, in magnam utilitatem cum Sinicæ gentis, tum Japonicæ. Nam simul innotuerit Japonibus Sinas Christi legem fuisse amplexos, verisimile est multum illos remissuros de pertinacia qua pravis suis sectis adhærent. Adeoque magna me spes tenet tam Sinas quam Japonios opera Societatis a suis idololatricis superstitionibus abductos, adoraturos Christum Jesum omnium gentium Salvatorem.

Obiter quiddam referam quod in usu mutuo istarum gentium singulare, ac mirum observatur. Sinica et Japonica diversæ linguæ sunt, adeo ut qui iis utuntur invicem non intelligant: quod tamen Sina scripserit, legit et percipit litteratus Japon; sed cum sono scriptum exprimit, ne ab ipso quidem scriptore, si præsens adsit, quid dicat cognoscitur. Nempe litteræ Sinicæ non vocis humanæ sonos varios, ut nostri litterarum

characteres, sed res protinus ipsas exprimunt, ideoque sunt innumerabiles.

Discunt autem, qui doctrinæ nomen affectant, Japones litterarum istarum potestatem, hoc est, non quod verbum aut vocabulum indicent, sed quam rem designent. Sublevando autem elementariorum et magistrorum labori hoc excogitarunt compendium. Proponunt in tabula litteras Sinicas, cuique imponendo pictam effigiem ipsius rei quam significat. Exempli gratia, qui character homini designando institutus est, ei forma expressa hominis incumbit. Sic in cæteris. Inde fit ut admoniti conspectu signi Japones lectores, easdem quidem res cogitationi subjiciant, quas Sina scriptor in mente habuit; sed dum voce quod legunt efferunt, vocabula Japonica res illas denotantia pronuntient: quæ Sinæ audientes, quid sibi velint prorsus nesciunt: uti nec vicissim si coram Japone Sina eamdem scripturam voce adhibita legens exprimat, Japon haud intelliget quid verba sonent.

Scripsimus lingua japonica librum explicantem origines mundi, et cuncta vitæ Christi mysteria. Eumdemque deinde librum sinicis characteribus descripsimus, quod exemplar cogitamus ferre nobiscum euntes ad Sinas; ut interim dum linguæ notitiam paramus, specimen possimus dare Sinis scripto ipsis noto expressum eorum quæ afferimus.

Oro atque obsecro sanctam charitatem tuam, per quo Deum amore prosequeris, quoque ejus obsequii studio flagras, fac tam ipse tu quam

universa Societas, quotidianis me vestris sacrificiis et precibus Deo impense commendetis. Peto, inquam, et rogo, interprete ac conciliatrice sancta charitate tua, Patrum omnium præsertim professorum procurari mihi suffragia, et efficaces intercessiones ad communem Dominum, quæ junctæ cum totius militantis Ecclesiæ meritis, cumque precibus omnium Beatorum, qui dum viverent de Societate fuerunt, et cum universæ triumphantis Ecclesiæ conspirantibus in idem votis, impetrent mihi a Deo Domino nostro gratiam intelligendi clare in hac vita quid sanctissima ejus voluntas a me optet, simulque auxilium ac vires integre ac perfecte quidquid innuet aut injunget exequendi.

Cocino. IV. Kal. Februarii Anno MDLII.

Minimus filius, idemque in exilio maximo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA II.

Societati in Europam.

De Japonia rebusque ibidem a se gestis; de bonziorum vita et moribus; de legatione Bungensi, Sinarum religionibus, ac de opimis Europæorum sacerdotiis cum molesta apud Japones concionaria vita commutandis.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sit nobiscum semper. Amen.

Ad XVIII Kalendas Septembris An. MDXLIX, in Japoniam omnes, Deo favente, salvi incolumesque pervenimus. Cangoximam appulimus, patriam comitum nostrorum; perbenigne sumus excepti cum ab omnibus oppidanis, tum vero a Pauli Japonis neophyti propinquis, qui omnes, veritatis luce divinitus oblata, Paulo auctore facti sunt christiani. Cangoximæ cum essemus, oppidanos divinæ legis cognitio (ut res erat illorum auribus nova) mirifice delectabat. Japonia regio amplissima est totaque insulis continetur; una omnino lingua utitur, eaque non admodum difficili ad discendum. Reperta hæc regio est a Lusitanis annis abhinc octo aut novem.

Sunt Japones honoris ac dignitatis perstudiosi, seque armorum gloria bellicaque virtute omnibus nationibus præstare arbitrantur; arma in honore ac pretio habent, nullaque re magis quam armis auro argentoque insignibus gloriantur. Gladios et pugiones perpetuo gestant tum domi tum foris; ubi cubitum discedunt, e cervicali suspendunt. Armis tantum tribuunt quantum nulla alia natio ex iis quas ego vidi. Sagittarii sunt peritissimi; pedestribus fere præliis contendunt, quamquam equis regio non caret. Inter se perofficiosi sunt; cum advenis, quos contemnunt, non item. Rem familiarem in armis, cultu corporis, et servorum comitatu consumunt, nihil omnino de coacervanda pecunia laborantes. Bellicosi plane sunt et continenter bella inter se gerunt: ut quisque plurimum viribus pollet, ita latissime dominatur. Regem unum habent, tametsi annis abhinc centum quinquaginta ei dynastæ parere desierunt, quæ perpetuorum est causa bellorum.

Magnus est his locis numerus tum virorum tum feminarum religiosam vivendi rationem profitentium, bonzios et bonzias appellant. Bonziorum duo sunt genera: alii cineraceo utuntur vestitu, alii nigro. Hos inter magnæ intercedunt simultates: cineracei atratis infensi sunt vulgo, eosque inscitiæ arguunt atque improbitatis. Bonziarum totidem sunt genera, partim cinerea, partim atra veste insignes: bonziis parent sui utræque generis et coloris. Bonziorum ac bonziarum innu-

merabilis est in Japonia multitudo, ac plane incredibilis, nisi ei qui ipse perspexerit.

Cognovi ex bonis auctoribus regulum esse in his locis, in cujus ditione cœnobia sint bonziorum ac bonziarum facile octingenta, capitum minimum tricenorum; innumerabilia autem esse ubi quaterni, seni octonique versentur: quod quidem ego, quantum videre potui, facile adducor ut credam. Sectarum quæ hic florent ratio a Sinis ascita est, quæ gens est in continenti e regione Japoniæ. Hinc memoriam habent Japones litteris consignatam auctorum cujusque sectæ, qui bina, aut etiam terna annorum millia in solitudine voluntariis se pœnis afflixisse dicuntur. Horum principes numerantur *Xaca* (Chaka) et *Amida*.

Disciplinæ vel virorum vel mulierum sunt omnino novem, legibus inter se institutisque dissidentes; liberum est cuique ad eam quam maxime probet animum applicare. Quare usu venit ut sub iisdem tectis aliam sectam vir, aliam uxor, aliam liberi sequantur. Neque ea res ullas fere turbas excitat, cum liceat cuique, ut quisque velit, vivere. Verumtamen sæpe inter eos controversiæ et contentiones existunt, cum suam quisque disciplinam reliquis anteferre conatur; atque etiam interdum venitur ad manus.

De mundi atque animarum procreatione in hisce disciplinis omnibus mirum silentium. Omnes piorum atque improborum sedes nominant; nulla tamen earum aut cujusmodi sit beatorum

sedes eorum, aut cujus imperio improborum animi ad inferos detrudantur, ostendit. Suos tantum auctores prædicant, qui, ut saluti consulerent hominum innumerabilium nullis sua peccata pœnis expiantium, acerbissimos sua sponte cruciatus subierint maximeque diuturnos.

Proinde confirmant eos omnes, qui nullas suorum delictorum pœnas luerint, si sectarum suarum principes conditoresque implorarint, ab omnibus incommodis liberatum iri; ita tamen, si magna ejus fiducia imploraverint, omnemque in eis spem reposuerint suam. Ac persuasum habent fore ut vel ex ipsis inferis eorumdem deprecatione eripiantur. Sed hæ, quas dixi, disciplinæ innumerabiles fabulas et mira quædam de suis institutoribus perhibebant, quæ longum esset exponere.

Ex hisce sectis nonnullæ trecena, aliæ quingena præcepta continent; omnes tamen consentiunt quinque præcepta esse præcipua ac plane necessaria. Primum, non occidendum, nec occisum quidquam comedendum; alterum, non furandum; tertium, non mœchandum; quartum, non mentiendum; postremum, abstinendum vino. Atque hæ quidem leges communes sunt disciplinarum omnium.

Sed bonzii et bonziæ de suarum legum ratione verba facientes ad populum, ei persuaserunt fieri non posse ut profani homines, urbanis negotiis implicati, quinque illa præcepta servent. Proinde præstare se velle quidquid propter earum legum

negligentiam mali atque incommodi illis accidere possit, sub ea conditione, ut populus domicilia, cœnobia, reditus annuos, pecuniasque ad usus ipsorum necessarios curet, et scilicet honorem eis et cultum tribuat. Hæc si populus faciat, ipsos quidquid legum sit pro populo servaturos.

Quocirca viri primarii atque opulenti, ut majori peccandi licentia fruerentur, bonziis postulata omnia concesserunt. Ita bonzii apud Jápones magnam habent venerationem, vulgoque persuasum est omnibus eorum deprecatione animos evocari ab inferis, quoniam hoc bonzii susceperunt, ut pro populo de legibus illis satisfaciant.

Concionantur bonzii certis diebus: concionum omnium caput est neminem e populo damnatum iri ad inferos, quamvis multa et deliquerit et delinquat; suæ quippe sectæ auctorem eos, si forte ad inferos relegati sint, e mediis suppliciis vindicaturum, præsertim vero si bonzii, qui pro his satisfecerunt, deprecatores accesserint. Et vero bonzii ipsi vulgo de sua sanctitate, quod quinque illis legibus pareant, ad populum sane magnifice prædicant. Iidem autem negant pauperibus (quippe qui benigne bonziis faciendi careant facultate) ullam relinqui spem ex inferis emergendi.

In eadem causa feminas esse dictitant, si quinque illa præcipua præcepta neglexerint; singulas enim mulieres, propter menstruorum fœditatem, pluribus peccatis esse coopertas quam viros universos: proinde tam tetrum animal haud facile

salvum esse posse. Hinc eo delabuntur ut dicant mulieribus quoque, si longe plura quam viri in bonzios contulerint, spem erumpendi ex inferorum carcere ostendi.

Illud etiam pro concione pronuntiant eos, qui pecuniam bonziis dederint in vita, post mortem decies tantum quantum dederint, eodemque nummorum genere accepturos, ad usus videlicet illius vitæ necessarios. Nec desunt multi, tum viri tum feminæ, qui magnam bonziis vim nummorum ita credant, ut eam deinde decuplo cum fœnore in immortali illa vita exigant, quibus bonzii sedulo scilicet cavent chirographo suo. Nec dubitat imperita multitudo de multiplici illo fœnore pecuniæ creditæ; bonziorum chirographa diligenter asservant, eaque moribundi secum sepeliri jubent, quippe eorum aspectu diabolum fugari arbitrantur.

Multas præterea fallacias intendunt bonzii, de quibus sine dolore commemorare non queo. Illud festivum, quod nummos eleemosynæ nomine accipiunt ab omnibus, ipsi omnino dant nemini. Miras conciliandæ pecuniæ vias norunt, quas ego ne sim longior prætermitto. Quantum istiusmodi hominibus tribuat, quantum honorem habeat multitudo, sine gemitu ac stomacho videre non possumus.

Sed ad res in Japonia gestas redeo. Primum igitur, ut supra demonstravi, Cangoximam Pauli patriam applicuimus, ubi ille assiduis sermonibus propinquos suos Christo adjunxit, ac facile om-

nem adjunxisset civitatem, nisi bonzii obstitissent; persuaserunt enim regulo longe ac late ut illis locis imperanti, si divinam legem in regnum suum introduci sineret, profecto non modo ditionem ejus universam, sed cultum etiam deorum majorumque disciplinam funditus esse interituram: proinde capite sanciret, ne quis in posterum fieret christianus.

Itaque nos, exacto jam anno, cum regulus palam Evangelii cursum impediret, Cangoximanis neophytis ac Paulo eorum custode valere jussis, inde in oppidum Amanguciani regni migravimus. Ibi compluribus ad Christi cultum perductis, Cosmum Turrianum eis magistrum reliqui; ego cum Joanne Ferdinando Amangucium urbem regiam, eamque permagnam (quippe tectorum decem millibus eoque amplius constat), ire perrexi. Ibi ad populum in triviis, ad dynastas ac principes civitatis in ipsorum ædibus, Evangelium pronuntiavimus: a multis avide, a nonnullis gravate audiebamur. Nec intacti abibamus, sæpe puerorum ac multitudinis in viis effusam petulantiam experti. Rex ipse cum nos ad se ire jussisset, nostri adventus causam sciscitatus, divinam sibi legem exponi imperavit, nosque de religione verba facientes per horam integram perdiligenter audivit.

Verum cum fructus operis ac laboris Amangucii minus constaret, Meacum (quæ urbs est Japoniæ princeps, ac sedes imperii,) demigravimus. Mensibus igitur duobus in itinere positis,

Meacum aliquando pervenimus, maximis laboribus periculisque perfuncti. Meacus olim, ut ferunt, familiarum millibus centum octoginta, hodie propter bellorum vastitates paulo amplius centum millibus constat. Ibi cum nec aditus ad regem patuisset unquam, et appareret Meacensium animos propter ingentes bellorum tumultus a sermonibus de religione penitus esse alienos, confestim Amangucium revertimus.

Ac rege litteris et muneribus (quæ ex India et Malaca ab episcopo et præfectis attuleramus) delinito, haud ægre ab eo impetravimus, ut edictis propositis declararet placere sibi divinam legem in suæ ditionis oppidis promulgari, eamque a suis popularibus quibus probaretur accipi. Is igitur cum morem nobis gessisset, simul cœnobium assignavit ad diversandum. Hic nos quotidianis concionibus atque concertationibus cum bonziis, veneficis, aliisque istiusmodi hominibus, plurimos, atque in his aliquot nobili loco natos, ad Christi fidem adduximus. Ex horum numero idoneos homines nacti, id egimus ut Japonum sectas opinionesque cognosceremus, easque conquisitis argumentis ac rationibus everteremus.

Quare bonzii, cum se proditos a suis, et rationibus coram populo convictos viderent, ardebant dolore scilicet ac disrumpebantur; cum præsertim qui se ad christianorum numerum aggregarent, hanc afferrent susceptæ novæ religionis causam, quod animadvertissent avitam religionem a bonziis magistris haudquaquam posse

defendi. Nihil omnino Japonicæ disciplinæ tradunt de mundi, solis, lunæ, stellarum, cœli, terrarum, maris, cæterarumque rerum molitione; hæc enim omnia aliunde originem habuisse non putant.

Mirabantur autem vel maxime, cum audiebant animorum unum esse communem Effectorem ac parentem, a quo sint procreati. Id adeo propterea obstupescebant omnes, quod rerum omnium Conditoris in eorum disciplinis nullam omnino mentionem fieri constaret. Quod si esset unum rerum omnium principium, profecto Sinas, a quibus ipsi religiones assumpsissent, non fuisse ignoraturos. Sinis quippe primas sapientiæ ac prudentiæ Japones deferunt omnibus in rebus, sive quæ ad religionem pertinent, sive quæ ad administrationem reipublicæ. Itaque multa de hoc principio percontabantur, utrum bonum esset an malum, unumne idemque principium bonorum et malorum.

Respondebamus unum esse principium idque summe bonum, sine ullius mali admistione. Hoc illis non probabatur, quod diabolos natura malos et humani generis hostes ducerent: proinde Deum, si bonus esset, nequaquam commissurum fuisse ut res tam malas procrearet. Ad hæc nos referebamus diabolos quidem procreatos a Deo bonos, sed suo vitio factos esse malos, atque ob eam causam sempiternis pœnis suppliciisque mactari.

Tum illi objicere profecto Deum, tam crudelem in animadvertendo, nequaquam esse cle-

mentem. Deinde, si Deus hominum genus condiderit, uti nos doceremus, cur homines ad Deum colendum natos a diabolis exagitari tentarique sineret? Jam si Deus bonus sit, haudquaquam homines tam imbecillos et ad peccandum proclives ab eo condi oportuisse, sed mali omnis expertes. Denique Deum bonum esse non posse, qui teterrimum illum inferorum carcerem ædificarit, nullaque unquam misericordia capiatur eorum qui apud inferos atrocissimis suppliciis in omnem æternitatem crucientur. Postremo, si bonus esset, leges tam difficiles mandatorum decem nequaquam fuisse hominibus daturum. At suis disciplinis tradi eos qui disciplinarum auctores implorarint, vel ex mediis inferorum cruciamentis ereptum iri. Illud nullo modo concoquere poterant homines ad inferos detrudi sine ulla omnino spe aliquando exeundi. Itaque suas disciplinas aiebant pietate atque clementia magis nixas esse quam nostram.

Hasce nos quæstiones demum ita Deo favente persolvimus, nullus ut in eorum mentibus scrupulus resideret. Omnino Japones ducem sequuntur rationem ut qui maxime, vulgoque omnes usque eo curiosi ac molesti sunt in percontando, ut finem nullum faciant vel argumentandi, vel nostra responsa cum aliis communicandi. Mundum rotundum esse nesciebant; nihil de solis astrorumque cursu cognorant. Proinde hæc aliaque ejusmodi, veluti cometarum, fulminum, imbrium causas cum interrogati aperiremus, avi-

dissime audiebant, mirifice delectabantur, nosque tamquam viros doctos suspiciebant: quæ doctrinæ opinio aditum nobis patefecit ad religionem in eorum animis serendam.

E novem sectis, quæ in Japonia vigent, una duntaxat mortales animos facit, quæ a cæterarum disciplinarum studiosis habetur deterrima. Ejus sectæ homines nequissimi flagitiossimique sunt, neque ullam inferorum mentionem ferre possunt.

Amangucii mensium duorum spatio, post multas interrogationes, ad quingentos homines sacra aqua lustravimus: ad hos quotidie, Deo bene favente, aliquot aggregantur. Neophyti bonziorum Japonicarumque sectarum nobis insidias ac fraudes summo studio enuntiant, egregiamque erga nos benevolentiam atque observantiam præ se ferunt tanta sedulitate, ut eos confidamus esse veros germanosque christianos.

Amangucianos ante susceptum baptismum odiosus quidam ac permolestus scrupulus pungebat ac stimulabat: non videri benignum et clementem Deum, qui Japonibus ante nostrum adventum nunquam se indicasset, præsertim vero si quicumque Deum non coluissent, uti nos prædicabamus, æternis erant suppliciis apud inferos cruciandi. Itaque majorum suorum omnium salutem desertam ac proditam dicebant ab eo, qui commisisset ut miseri illi, salutaris veritatis cognitione fraudati, ad interitum ruerent sempiternum. Hæc illos odiosissima cogitatio vel

maxime a veri Dei cultu revocabat; verum Dei beneficio error eis omnis et scrupulus exemptus est.

Primum enim demonstravimus divinam legem omnium esse antiquissimam. Siquidem ante ascitas ab Sinis leges, Japones, natura magistra, sciebant nefas esse hominem occidere, furari, pejerare; itemque alia, quæ decem illis divinis legibus continentur, argumento esse quod si quod ejusmodi scelus admisissent, conscientiæ stimulis torquerentur. Jam rationem ipsam docere fugiendum malum, sequendum bonum; idque natura insitum esse in animis hominum sic prorsus, ut divinæ legis notitiam omnes a natura naturæque auctore Deo habeant, priusquam accedat disciplina.

Id adeo si dubium videretur, experiri in aliquo licere, qui disciplinæ omnis expers in monte aliquo ac solitudine sit educatus, sine ulla patriarum legum cognitione. Nimirum hujusmodi hominem, omnis humanæ disciplinæ rudem atque ignarum, si interrogaretur utrum hominem occidere, furari, ac cætera ejusmodi quæ divina lex vetat, peccata essent necne, num ab istiusmodi rebus temperare rectum esset: profecto, inquam, hominem illum humanæ disciplinæ funditus ignarum, ita ad hæc responsurum, ut facile appareret minime esse divinæ legis expertem. Unde igitur illum eam notionem hausisse existimandum, nisi ab ipso conditore naturæ Deo? Quod si in barbaris hominibus id cernatur, quid in

humanis nationibus ac politis futurum? Quæ cum ita sint, necessario effici, ante leges omnes ab hominibus latas, divinam Legem in animis hominum innatam exstitisse.

Hæc eis ratio ita probata est, ut plane acquiescerent, atque hisce laqueis expediti suave Domini jugum facile subirent.

At bonzii sunt nobis offensiores, quod eorum mendacia redarguimus. Hi, uti diximus, suadebant populo quinque illa præcepta vulgo servari non posse; quare ipsos pro populo servaturos, ea lege ut cultus eis victusque tribueretur; spondere se, quis eorum ad inferos descendisset, eum sua ope atque opera evasurum. Nos contra populo demonstrabamus *in inferno nullam esse redemptionem*, neque quemquam per bonzios aut bonzias posse liberari. Itaque rationibus convicti se a bonziis deceptos esse querebantur. Quin etiam ab ipsis bonziis demum, Deo adjuvante, confessio expressa est veritatis: nimirum non posse se a quoquam inferorum supplicia deprecari; sed nisi se id posse prædicarent, sibi enimvero fame esse moriendum.

Itaque haud ita multo post bonzii, deficientibus paulatim studiosorum suorum subsidiis, magnas rerum domesticarum difficultates vitæque dedecora subierunt. De inferis tam graves inter nos et bonzios contentiones exstitere, vix ut umquam nobiscum in gratiam redituri videantur. Illorum jam disciplinam multi deserunt, atque ad vitam revertuntur urbanam. Hi bonziorum

in cœnobiis versantium fraudes atque insidias enuntiant nobis. Quocirca Amangucii quidem bonziorum bonziarumque auctoritas valde in dies obteritur. Affirmant mihi christiani, ex centum bonziorum bonziarumque cœnobiis quæ erant Amangucii, complura civium eleemosynis destituta brevi esse interitura.

Antiquitus quidem bonzii ac bonziæ, qui unam aliquam e quinque illis legibus neglexissent, a regulis ac dominis oppidorum ubi versarentur, morte scilicet mulctabantur: sive quis eorum flagitium, furtum, mendacium admisisse, sive hominem aliudve animal occidisse, aut comedisse, sive bibisse vinum convinceretur. Nunc vero relaxata plane est disciplina atque corrupta; nam plerique potant vinum, carne vescuntur clanculum, mendaciis student, mœchantur palam, vulgo pueros habent apud se, quorum ætatis flore abutuntur. Idque ipsi profitentur, ac peccatum nullum esse prædicant; quare populus bonziis auctoribus a tam nefario flagitio non abstinet. Sic enim vulgo dictitant, si bonziis id liceat, quidni hominibus liceat profanis?

Huc accedit quod alant in cœnobiis suis bonzii feminas complures, quas colonorum suorum uxores esse dicunt. Ea res offensionem incurrit multitudinis, tantam bonziorum cum mulieribus consuetudinem suspectam habentis. Bonziæ quoque omnibus horis a bonziis adeuntur officii causa, eosque vicissim adeunt; at populus id malam in partem interpretatur. Ferunt herbam

esse quam bonziæ esitent, ne gravidæ fiant. Equidem tot ac tantis bonzios flagitiis coopertos esse non miror, genus enim est hominum diabolum in Dei loco habentium, qui innumerabilia ac nefaria flagitia admittant necesse est.

Utuntur Japones omnes ad preces serie quadam bene longa, atque inter orandum gradatim ad singulos orbiculos suæ sectæ implorant auctorem. Hanc autem, quam dixi, precum seriem percurrunt alii crebrius, alii rarius. Principes sectarum auctores (ut ostendimus) Xaca *(Chaka)* et Amida numerantur. Bonzii ac bonziæ cineracii coloris, et maxima populi pars, Amidam; reliqui, tametsi Amidam non aspernantur, tamen Xacam præcipue colunt.

Sciscitatus sum diligenter an hi, quos dixi, Xaca et Amida homines fuerint aliqui sapientes, atque obsecravi christianos ut eorum vitas mihi perscriberent. Denique comperi ex eorum libris illos haudquadam homines fuisse; quippe millesimum, aut etiam bis millesimum annum explevisse dicuntur, Xaca autem octies millies natus perhibetur; aliaque ejusmodi permulta de illis memoriæ prodita sunt, quæ fieri nullo modo possunt. Itaque sic statuo eos non homines, sed mera diaboli fuisse portenta.

Oro quæsoque eos omnes, qui hasce meas litteras lecturi sunt, pro ipsorum studio divini cultus amplificandi, ut victoriam nobis adversus duos hosce diabolos Xacam et Amidam, et reliquos horum similes a Christo Domino precentur;

cum præsertim jam non sine Dei numine eorumdem auctoritas Amangucii consenescat.

Dynasta hujus regni primarius una cum uxore, femina lectissima, nos complexus est sic, ut amborum studia nobis ad divinæ religionis propagationem nunquam defuerint. Verum neuter ut religionem quamvis exploratam susciperet adduci potuit: idque idcirco quod multa bonziorum cœnobia suo sumptu ædificarant, vectigalibusque instruxerant, quo Amidam, quem superstitiose colunt, orarent assidue, ut eos ab hujus vitæ calamitatibus atque incommodis prohiberet, atque ad eam, qua ipse perfruitur, felicitatem aliquando traduceret.

Hi causas, cur christiani non fierent, plurimas afferebant, illam potissimum, quod dicerent egregios se Xacæ et Amidæ semper cultores extitisse, eorumque causa et plurima largitos esse bonziis, et sedes ac domicilia excitasse; si jam ad Christum sese transferrent, gratiam tot annorum officiis collectam, omnemque superioris vitæ fructum utique perdituros. Pro certo habent se, quidquid pecuniæ Xacæ et Amidæ nomine bonziis dederint, post mortem cum maximo fœnore recepturos, ac præterea cultus pietatisque suæ fructum amplissimum. Quæ scilicet ne amitterent, ad Christum transire noluerunt.

Persuasum habent Japones in illa beatorum sede epulas cultumque vitæ suppetere cum elegantia et copia; atque ut quisque apud Xacam et Amidam maxima in gratia fuerit, ita apud

omnes in maxima gloria futurum. Hæc omnia commentitia sunt mysteria bonziorum, qui nobis concionantibus, obtrectandi studio, in suis fanis concionabantur, et magna auditorum frequentia nobis pariter Deoque nostro turpissime maledicebant. Christianorum Deum esse ignotum quiddam et inauditum, fierique non posse quin maximus ac teterrimus dæmon esset; ejus nos dæmonis esse discipulos, proinde caverent ne Christi sacra susciperent; simul atque enim ille pro Deo coli cœptus esset, Japoniam interituram. Dei quoque nomen cavillantes, interpretabantur Deum nihil aliud esse nisi *Daium (Dai-uso)*, quod verbum ipsorum lingua mendacium significat; itaque apud se essent, sibique a nobis caverent diligenter.

Hæc atque alia multa impia maledicta conferebant in Deum; quæ tamen ille, pro sua clementia ac benignitate infinita, in honorem suum salutemque hominum vertit. Etenim illorum in nos maledictis et nostra apud populum auctoritas, et Christum colentium numerus in dies augebatur. Intelligebat quippe multitudo, idque palam dictitabat, per invidiam a bonziis in nos illa jactari.

Diu ac multum in Japonia elaboravi ut omnibus vestigiis indagarem, ecquando Japonii Jesu Christi notitiam habuerint, demumque ex eorum litteris ac sermone comperi nihil omnino eos de Christo inaudisse. Cangoximæ, ubi annum commorati sumus, animadverti regulum ejusque

cognatos albam crucem in familiæ insignibus habere, sed tamen Christi nomen funditus ignorare.

Amangucii cum essem simul cum Cosmo Turriano et Joanne Ferdinando, rex Bungensis potens imprimis me per litteras rogavit ut se convenirem: Lusitanam navem ad suum portum appulisse, cupere se certis de rebus mecum communicare. Itaque confestim, vel ut ejus erga Christi fidem animum explorarem, vel ut Lusitanos inviserem, Bungum profectus sum, Cosmo et Joanne apud Christianos relictis. Rex me liberaliter accepit, ego magnam ex Lusitanorum congressu cepi voluptatem.

Dum Bungi commorarer, magnum Amangucii bellum diabolus excitavit. Dynasta potens opibus regem suum bello illato urbe exegit regnoque spoliavit. Ibi rex cum fugæ exitum nullum reperiret, ne vivus in acerbissimi hostis, qui in sua modo ditione ac potestate fuisset, manus perveniret, pugione in ventrem adacto, necem sibi conscivit; simul filium quem apud se habebat interfici, atque utriusque corpus comburi jussit, ne quam omnino materiam injuriæ hostes invenirent. Idque uti imperaverat factum est. Quantum illo bello nostri qui erant Amangucii capitis discrimen subierint, ex iis litteris, quas ad me ab illis scriptas vobis mitto, facile intelligetis.

Post Amanguciani regis interitum, regni proceres ac dynastæ gravi perfuncti bello, cum

viderent rem Amangucianam sine rege stare non posse, legationem ad Bungi regem miserunt, ut fratrem suum germanum Amangucium mitteret, quem ipsi regem constituerent. Rex scilicet morem eis protinus gessit: ita ille regnum adeptus est Amangucii.

Bungensis rex magnis sane bellicosissimorum hominum copiis instructus (ut est captus regum Japonicorum), admodum imperat late. Lusitanorum nomen mire diligit. Itaque ut de Lusitani regis opibus ac moribus cognovit, petiit ab eo per litteras ut se in amicorum suorum numerum adscriberet, eique thoracem amicitiæ obsidem misit. Ad proregem quoque Indiæ certum hominem allegavit, qui suam illi amicitiam, societatem, studium prolixe deferret.

Is legatus mecum devectus in Indiam, honorifice et perliberaliter a prorege tractatus est. Ac Bungi rex, ante meum ex Japonia discessum, Lusitanis ac mihi recepit se cum Amangucii rege fratre suo acturum, ut Cosmum Turrianum et Joannem Ferdinandum amplecteretur; idque ipse Amangucianus rex designatus nobis promisit, simul atque in regni possessionem pedem posuisset, se esse facturum.

In Japonia quamdiu fuimus (fuimus autem annos duos et dimidiatum), facultatibus munificentissimi Lusitaniæ regis sustentati sumus: is in Japonicam profectionem aureos amplius mille assignari nobis eleemosynæ nomine imperavit. Incredibile est quantum nobis rex optimus

faverit, quantosque sumptus in nostra collegia, domicilia, necessitates fecerit, quotidieque faciat. Bungi aliquamdiu commoratus eram, cum Lusitanæ navis opportunitate invitatus, omissa Amanguciana reversione, statui e Bungo in Indiam solvere, ut Socios ac Fratres tanto intervallo reviserem, et Socios ad Japonis culturam idoneos, aliasque res necessarias, quarum ibi magna est inopia, curarem.

Cocinum applicui IX. Kalendas Februarias, ubi a prorege perhumaniter sum acceptus. Aprili mense proximo aliquot ex India Patres in Japoniam mittentur, quibuscum Bungensis regis legatus domum est rediturus. Magna me spes tenet copiosissimam, Christo favente, illis in locis messem futuram; nam ex gente ingeniosa, moderata, discendi avida, rationem ducem sequente, aliisque præterea laudibus cumulata, tamquam ex agro opimo ac fertili, necesse est uberes ac lætas fruges existere.

Banduensis academia est in Japone insula (quæ regioni nomen dedit) sane celebris, quo maxima bonziorum multitudo confluit ad suas leges cognoscendas. Hæ, ab Sinis ascitæ, Sinarum consignatæ sunt litteris, quæ longe differunt ab Japonicis. Duplex est autem in Japonia litterarum genus, alterum virorum, mulierum alterum; maximam partem tum viri tum fœminæ, præcipue vero nobiles ac mercatores litteras norunt. Bonziæ puellas in suis cœnobiis, bonzii pueros litteras docent, quamquam viri nobiles ac locuple-

tes fere domesticis magistris liberos suos tradunt in disciplinam.

Bonzii acerrimis sunt ingeniis, rerum futurarum maxime se commentationi dedunt; quid ipsis futurum sit, quem sint exitum habituri, et alia generis ejusdem cum animis suis considerant. Ex horum numero multi erant, qui suis commentationibus eo demum delabebantur, ut putarent in suis disciplinis nihil esse præsidii ad animorum salutem. Sic enim secum ratiocinabantur: omnino oportere unum rerum omnium esse principium; ejus nullam in suis libris fieri mentionem (nam de hujus universitatis molitione mirum apud omnes silentium esse); profecto si qui hujusce principii olim cognitionem acceperint, eos, quod nulla litterarum vel hominum auctoritate confirmare possent, sibi habuisse, celasse posteros.

Itaque hoc genus hominum divina lex maximopere delectabat. Quo ex numero unus Christo se adjunxit Amangucii, qui complures annos in Banduensi academia versatus, doctrinæ laude florebat. Is ante nostrum in Japoniam adventum bonzius fieri cogitabat; at postea, mutato consilio, duxit uxorem. Ejus rei hanc ipse causam afferebat, quod Japonicas religiones falsas atque inanes esse intelligeret, atque idcirco nullam eis fidem haberet, ab se autem mundi opificem ac molitorem coli oportere. Hujus accessione sane gavisi sunt Christiani, quippe cum totius civitatis doctissimus et esset et haberetur.

Posthac in Japoniam novi quotannis Socii (si Deo cordi erit) submittentur, et Societatis domicilium Amangucii constituetur, ubi patres linguam addiscant vernaculam, et cujusque sectæ opiniones atque instituta cognoscant. Ita fiet ut qui istinc e Societate venturi sunt Banduensis academiæ juvandæ causa, Socios ibi reperiant Japonicæ linguæ ac religionis peritos. Quæ res maximo utique erit adjumento Europæis Patribus, quibus Japonica provincia obvenerit.

Cosmus Turrianus et Joannes Ferdinandus in præsentia toti sunt in christianis mysteriis enuntiandis, et sermonibus de præclaris Christi facinoribus habendis ad populum. Ac multi eorum ita ejusmodi rerum commemoratione afficiuntur, ut Christi cruciatus necemque fletu ac lacrymis prosequantur. Cosmus nostrate lingua scribit conciones; eas deinde Ferdinandus, patriæ ipsorum linguæ satis gnarus, convertit japonice. Horum opera christiani magnos in pietate processus habent. Neophyti enim qui olim suos illos calculorum ordines ita precibus decurrebant, ut singulatim insistentes suæ quisque sectæ parentem nominatim invocarent, nunc Christi colendi rationem edocti, ad pietatem conformantur, ut avitas superstitiones convertant in Dei cultum.

Usque adeo autem seduli sunt in hoc genere et curiosi, ut cum se cruce signare docentur, requirant quid sibi velit: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quid sit causæ cur, dextera primum ad caput sublata, dicatur: *In*

nomine Patris, deinde ad pectus demissa, addatur: *Et Filii*, postremo a dextro humero ad sinistrum traducta, adjiciatur: *Et Spiritus sancti*. Quarum rerum explanatione mirifice delectantur. Ubi *Kyrie eleison, Christe eleison*, dicere jubentur, horum verborum significationem exquirunt. Sub hæc, B. Virginis rosaria ita decurrunt, ut ad orbiculos minores Salutatione Angelica recitata, Jesu et Mariæ nomen identidem implorent. Hasce autem ac reliquas precationes, itemque Symbolum paulatim ediscunt ex scripto.

Unum est quod Japonum animos pungit et cruciat vehementer, quod inferorum carcerem undique clausum ad exitus esse a nobis acceperunt, nulla ut ope quisquam inde eripi queat. Dolent videlicet liberorum extinctorum, parentum, propinquorum, majorumque suorum vicem, et dolorem lacrymis declarant suum. Itaque percontantur a nobis ecqua spes sit, ecqua ratio æternam ab illis miseriam deprecandi. His ego scilicet ita respondeo, ut negem omnino.

Hæc eos cura mirandum in modum angit atque sollicitat, sic prorsus, ut dolore prope tabescant. Verum in eo malo hoc inest boni, quod spes est fore ut hoc magis de sua salute laborent, ne item uti ipsorum majores suppliciis damnentur æternis. Rogitant etiam, num eos Deus eripere possit ab inferis, cur tandem eorum cruciatus nullum sit finem habiturus. Ad hæc satis est responsum a nobis. Verumtamen illi suorum calamitatem deplorare non desinebant, ut ego

lacrymas tenere vix possem, cum cernerem homines mihi amicissimos intimis angi sensibus, propter rem ejusmodi quæ acta jam esset, nec in integrum revocari ullo modo posset.

E regione Japoniæ Sinarum regio est amplissima eademque pacatissima, et (quod ex Lusitanis negotiatoribus cognovi) omnibus etiam Christianorum regnis justitiæ et æquitatis laude præstans. Sinæ quos tum in Japonia, tum aliis in locis vidi atque odoratus sum, colore similiter ut Japones albi sunt, acutique et discendi cupidi; magnitudine autem ingenii etiam Japones ipsos facile vincunt. Terra porro omnium rerum copia circumfluit, plurimis maximisque urbibus frequentata, et urbes celeberrimæ ac tectis lapideis ad elegantiam exornatæ. Constans est fama regionem esse opulentam, et cum ceteris rebus tum vero serico abundantem. E Sinis ipsis cognovi multos inibi esse multarum nationum atque sectarum; et quantum ex eorumdem sermone colligere potui, Judæos ibidem et Saracenos esse suspicor. De christianis quod suspicer nihil habeo.

Spero me hoc anno MDLII eo transmissurum, atque ad Sinarum regem penetraturum. Omnino regnum est ejusmodi, ubi Evangelium si satum sit, longe ac late propagari queat. Atque etiam, si christianam religionem Sinæ probaverint, utique Japones quoque religiones ab eis accersitas omittent. Distat Japonia a Liampo (*Leang-pou*, prope Ning-po), quæ urbs est Sinarum præcipua, trajectu millia passuum circiter trecenta.

Maximam in spem ingredior fore ut Deus januam aditumque in Sinas, non solum nostræ Societati, verum etiam religiosis omnium Ordinum familiis aliquando patefaciat, ut piis sanctisque cujusque generis hominibus campus aperiatur, ubi præclarus pietatis ardor existat, in perditis hominibus ad veritatis salutisque viam revocandis. Quare omnes, qui christianæ religionis amplificandæ studio tenentur, etiam atque etiam rogo, ut suis sanctis sacrificiis ac precibus meos hosce qualescumque conatus juvent, quo regionem ejusmodi aperiam, ubi pia ipsorum excurrere possit industria.

De India quod scribam nihil est; iis enim qui ibi sunt Sociis datum hoc negotium est, ut quæ ibi gerantur vos faciant certiores. Huc ego nuper ex Japonia remigravi; corporis vires satis magnas retuli, virtutis ac spiritus prope nullas; sed spem omnem in Dei benignitate et immortalibus Christi Domini promeritis sitam habeo, ut laboriosissimum hoc Sinarum iter conficiam ex sententia. Etsi enim jam usquequaque canus, tamen ita sum valens ac robustus ut nunquam magis.

Nimirum labores in excolenda gente moderata veritatisque ac salutis suæ cupida recte positi, magnos jucunditatis fructus afferunt. Vel Amangucii, cum, potestate Evangelii prædicandi ab rege facta, maximi ad nos audiendos concursus fierent, tantum cepi vitæ fructum tantamque animi lætitiam, quantam antea nunquam. Videbam

enim bonziorum spiritus per nos frangi a Deo, præclaramque de acerbissimis hostibus victoriam reportari. Rursus videbam neophytorum tum ex convictis bonziis gaudia, tum incensa studia in oppugnandis ethnicis atque ad baptismum perducendis, tum vero exultationem in victoria, pugnisque suis inter se commemorandis, fusa profligataque superstitione barbarorum. Hisce ego rebus tanta animi voluptate circumfluebam, quæ omnem ærumnarum sensum obrueret.

Utinam, ut hæc solatia cœlestia, nobis (quæ divina benignitas est) in mediis laboribus impertita, hic a me narrantur, ita eorum specimen aliquod non modo ad audiendum, sed etiam ad gustandum Europæ academiis mitti posset! Istorum profecto studiosorum adolescentium complures ad ethnicorum conversionem suas curas omnes ac studia conferrent, si semel gustassent cœlestis lætitiæ voluptatem, quæ ex ejusmodi laboribus manat. Quod si vulgo exploratum esset atque perspectum quam parati sint Japonum animi ad Evangelium accipiendum, nimirum et viri docti permulti suis studiis finem imponerent, et canonici, sacerdotes, ipsique antistites sua quamvis ampla et opima sacerdotia relinquerent, ut acerbam vitam ac molestam commutarent cum vere jucunda ac suavi; atque ejus consequendæ gratia haudquaquam gravarentur in Japoniam usque navigare.

Quoniam Cocinum attigi eo ipso tempore quo naves profectionem parabant, amicorum autem

salutantium frequentia hanc epistolam sæpius interpellavit, raptim hæc scripsi atque perturbate. Itaque finem scribendi faciam; etsi finem facere non possum, cum ad charissimos Patres meos Fratresque scribam, et de Japonibus meis deliciis scribam, de quibus omnia persequi, ut maxime velim, nullo modo possim.

Quare finem epistolæ impono Deum orans atque obsecrans ut nos in cœlesti beatitudine aliquando conjunctos velit. Amen.

IV. Kal. Febr. MDLII. Cocino.

Totus vester in Christo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA III.

M. Simoni Roderico.

De Japonibus, atque Sociis eo destinandis, eadem brevius, quæ epistola 1.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

De Japonia quædam sunt quæ te scire volo, ut cujusmodi desideret illa cultores intelligas.

Primum igitur ad hanc gentem Evangelio subigendam viros deligi oportet expertos, et in ærumnis periculisque spectatos. Siquidem in Banduensi reliquisque academiis maxima eos certamina et vexationes manent bonziorum. Iterum dico eos vehementer exagitatum iri, adeo ut periculum sit ne ipsi pereant, dum alios servare student, nisi magnitudine animi et Dei fiducia excellant. Omnino summa eis frigora perferenda erunt, nam Bandua multo magis ad Aquilonem quam Amangucium vergit; inedia etiam toleranda, alimenta enim præter oryzam, olera et alia quædam ejusmodi, sunt sane levia. Proinde res ipsa, ut vides, viros non modo eximia animi virtute, verum etiam egregia constitutione corporis flagitat.

Belgas aliquot et Germanos, quippe frigoribus atque ærumnis assuetos, huc mittas censeo, qui scilicet procul a patria, alienæ linguæ expertes concionibus abstinent; cujusmodi hominum non parva copia in Italia, Hispania, Gallia est. Eosdem in argumentationibus concludendis, captiosisque rationibus solvendis exercitatos esse sane velim, ut satis instructi sint ad bonzios, quorum auctoritate academiæ nituntur, palam convincendos sic ut pugnantia loqui cogantur. Hinc Amangucium quidam mittentur eo consilio ut Japonicam linguam addiscant, et simul gentis sensus et errores odorentur, interea dum egregii aliqui viri e Societate illo veniant, qui, sumptis inde peritis comitibus atque interpretibus, academias adoriantur; et quamvis rudes ipsi Japonicæ linguæ, tamen pugnam capessant per interpretes, quoad ipsi patrio gentis sermone satis instructi cominus ineant certamen cum bonziis. Tu velim Beatum P. N. Ignatium per litteras certiorem facias de iis, qui in Japonicas academias sunt ituri.

Ex omnibus Japoniæ partibus plurimi ad Banduensem academiam doctrinæ causa confluunt, inde domos reversi docent populares suos ea quæ didicerunt. Bandua, ut accepi, urbs est longe maxima ac celeberrima, cives non nobilitate solum, sed etiam bellica virtute clari, etsi non desunt inter eos viri et mites et boni. Hæc de Banduensi academia comperi; similes reliquas esse conjicio. Da operam, quæso te, ut spectatæ probitatis ac modestiæ Socios huc submittas.

In Japoniam profecturi (ut præcipuas difficultates nominatim describam), ubi in aliquam venerint academiam, assidue aliis ex aliis certaminibus et percontationibus urgebuntur; ludibrio erunt vulgo, atque omni irrisione ludentur; nullum meditandi contemplandique res divinas otium, nulla Sacri faciendi, præsertim Banduæ et Meaci, facultas erit; vix ac ne vix quidem spatium divini Officii recitandi. Tanta indigenarum frequentia diversorium celebrabitur, partim visentium, partim percontantium, partim ad viros nobiles accersentium, qui nullam omnino accipiant excusationem; quid multa? tam multi omnibus horis molesti intervenient, ut ne curandi quidem corporis, cibique ac somni capiendi spatium sit futurum. Satanas porro mirificas insidias struet.

Qui autem statis ad divina contemplanda temporibus, sacrorum psalmorum lectione, et, quod caput est, sacrosanctæ Eucharistiæ fructu carent, si præsertim accedat illa bonziorum insectatio, maximorum frigorum incommoda, alimentorum exiguitas ac difficultas, humani solatii atque auxilii desperatio, qui tot, inquam, tantorumque molem incommodorum subituri sunt, profecto eximia quadam virtute polleant necesse est.

Proinde mittendorum in Japoniam quam accuratissime delectum habebis. Nam nec senes idonei sunt, quod corporis viribus, nec adolescentes, quod rerum usu careant. Ac mihi crede, multorum qui nomen in Japoniam daturi sunt,

ardorem ac virtutem satis superque ibi spectatum iri; eosdem autem cœlestibus gaudiis mirandum in modum abundaturos, si ærumnas ac labores fortiter perferent, et divina ope ac gratia, quæ in maximis difficultatibus copiosissime suppeditatur, utentur ad victoriam de sempiterno hoste referendam.

Iterum te oro, Frater charissime, ut quos in Indiam e Societate submittes, ejusmodi viri sint qui vel pauci magno usui esse queant. Etenim cum tot sint in Europa sedes Societatis, bini certe quotannis ex singulis domiciliis deligi possunt ad concionandum nati, qui exemplo etiam magis quam doctrina hominibus prosint; istiusmodi enim viris India vel maxime indiget.

Patribus istinc venientibus præcipias velim, ne quem ex vectoribus in Societatem asciscant; nam si qui asciscendi essent in India ut hic bonis litteris studerent, profecto ii duntaxat viderentur, qui præclare jactis doctrinæ virtutisque fundamentis, huc se ad absolvenda studia conferrent. Multos sane istic collegiis excluditis, quos satius esset huc amandari, quam hic ejusmodi homines recipi in nostrorum numerum, qui legere et scribere tantum sciant.

Commodissimum autem esset istinc neminem, qui non studiorum cursum confecerit, huc venire; hic nullum omnino adscribi in Societatem, præter domesticis muneribus necessarios. Nam hic quidem studiorum ratio lentum negotium: qui student, post multos demum annorum anfractus

apti erunt ad conciones habendas, audiendas confessiones, Societatem et indigenas juvandos.

O mi Simon! Deus nos in cœlesti patria copulet, quando ejus causa adeo distracti vivimus in terris. Quamquam, quid si nos in Sinarum regno revisamus? Deum Dominum nostrum, quæso te, suppliciter deprecare, ut mihi facultatem det iter in Sinas aperiendi aliis, quoniam ego ipse nihil ago.

Oræ Piscariæ negotium, de quo Henricus Henriquez ad te scripsit, de præfecto, inquam, cura, ut apud regem conficias, siquidem ad rem Christianam pertinet plurimum.

IV. Non. Febr. MDLII. Cocino.

FRANCISCUS.

EPISTOLA IV.

P. Paulo, Societatis Jesu.

Morales, Gonzalez, aliique ob neglectam obedientiam e Societate dimissi, aut castigati; de maxima erga episcopum observantia.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsint semper nobis auxilio et favore. Amen.

Pater Paule,

Ad te istuc proficiscuntur Manuel de Morales et Franciscus Gonzalez. Simul advenerint, visis meis hisce litteris, convenies dominum episcopum in suo palatio episcopali, dicesque ipsi te reddere ac restituere dominationi ejus priorem horum, hominem ratione sacerdotalis ordinis ipsi peculiariter subditum, nec jam obligatum ulla religiosæ familiæ obedientia; quippe cum per me, prout litteris ad te datis significaverim, votis rite solutus, et a Societate abdicatus sit. Quare homine talentis ad ecclesiastica ministeria non inutilibus prædito utatur deinceps pro arbitrio, pleno jure; utique cum eum a suo corpore rejectum et in manus ejus repositum Societas Jesu liberæ ipsius potestati permittat. Ipsi postea Manueli de Morales declarabis te illum, prout a

me per litteras jussus sis, e Societate dimittere. Amandabis similiter Franciscum Gonzalem, et huic quoque denuntiabis suas sibi res habeat in posterum seorsum a nobis. Nec hos diversari de cætero in collegio sines, aut ullam communicationem, etiam consuetudinis et colloquii, habere cum nostris.

Molestissimum mihi est ea istos commisisse, quæ necessarias mihi causas afferunt ad hoc extremum consilium veniendi. Sed quod me magis angit, male metuo ne non in his duobus solis desitura porro sit istiusmodi animadversio. Scit Dominus Deus noster quam acri confossus intime cordolio hanc epistolam scribam.

Existimaveram huc rediens inventurum me aliquam requiem a multis quos peregre nuper exantlavi laboribus; nunc vice solatii acerbiores molestiæ occurrunt, litium vitiosa perturbatione commissarum, contentionum, dissidiorumque a populo in offensionem publicam erumpentium: non hæc scilicet absens mandaveram. Sed quantum reperio, vel exigua vel nulla obedientia in quibusdam est. Laudetur in omnibus Deus semper.

Melchiori Gonzalez mandabis, scriptis Bazainum ubi est litteris, ut continuo inde Goam veniat, sic enim pro potestate me jubere. Balthasarem Nunnezium tecto excipies, et ibi tenebis usque ad meum istuc adventum. Adolescentem istuc proficiscentem, cui Thomas Gonzalez nomen est, non admittes domum antequam ego

advenerim. Dicas interim illi, si Deo servire in Societate velit, conferat se in nosocomium, ibique infirmis ministret quoad Goam perveniam, quod brevi, Deo juvante, futurum spero.

Adi a me dominum episcopum eique manus mea vice osculare, ac dices majorem in modum cupere me sisti quamprimum dominationi ejus illustrissimæ, sperando suavem animi fructum ac consolationem ex ejus dulcissimo congressu; tum me significaturum ipsi quantum me obstrictum sentiam favoribus et beneficiis ejus tantis, ut iis pro merito æstimandis nedum rependendis, me ultro profitear imparem.

Summo teneor desiderio Fratres istic omnes meos revisendi, Patres præsertim, e quorum colloquio consolationem exspecto non modicam. Valete.

Cocino, pridie Nonas Februarii Anno MDLII.

Totus vester in Christo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA V.

P. Melchiori Nunnezio.

Melchior domui Bazainensi præfectus; accurandæ vectigalium rationes, habenda in expensione pecuniæ necessitatum ratio, sed vitanda sordida parcimonia; de modo exigendi vectigalia, et querelarum occasione vitanda.

Ego Franciscus perspectam habens tuam, Melchior Nunnezi, virtutem ac prudentiam, et ei satis fidens, subesse tibi jubeo domum istam Bazainensem; ac pro potestate mando ut et istius universæ familiæ regendæ, et recipiendorum administrandorumque vectigalium, alendis per varia loca Sociis istic assignatorum curam suscipias: imperans, ut ex quo primum die istius a me tibi commissæ præfecturæ rite possessionem adieris, non solum qui Fratres aut Patres Bazaini degunt te rectorem agnoscant, tibique ut tali ad nutum obediant; sed etiam quicumque deinceps Socii quavis occasione istac transibunt, Dium aut alia loca petentes, interim dum istic erunt, tuæ ditioni subjecti sint; nisi si quem aut ego, quod ex meo chirographo constet, aut rector hujus Goanæ domus *Sanctæ Fidei* (cui, me absente, sicut Patri Ignatio obtemperabis) tuo imperio

exemerimus. Ita ex animi mei sententia statuo, et in hujus meæ voluntatis indicium ac fidem, huic chartæ manu propria subscribo.

Goæ in Collegio Sancti Pauli, pridie Kalendas Martias. Anno MDLII.

FRANCISCUS.

Apponam hic monita et mandata quorum ductu regimen te istud exercere pervelim.

Incipiam a cura vectigalium, quæ rex, aut ejus nomine prætores Indiæ, percipienda Societati liberaliter attribuerunt, non solum in usum Bazaini degentium Sociorum, sed et eorum qui in hac domo Goana habitant atque in stationibus huic subjectis. Circa hæc primum volo te diligenter inire rationes cum nostro Melchiore Gonzale, qui collectioni et dispensationi istiusmodi censuum longo jam tempore præfuit, exacte ab eo resciendo quantum ejus pecuniæ acceperit, vel accepto tulerit, quantum in nominibus reliquerit. Ac quidquid ejus compereris perscribesis ad me distincte, scire enim aveo. Præsertim autem summa fide profitere quantum idem Gonzalez tibi præfecturam ineunti numerato consignaverit.

Jam in expensione pecuniæ istius magnam te habere rationem par est necessitatum Sociorum hic degentium, et hujus Goanæ domus ære alieno pressæ, tum sedium Cocinensis, Colanensis, Comorinensis, quæ omnes vitæ subsidia Goa

trahunt, aut potius exspectant. Sæpius enim miseri postulant quam impetrant, et plerumque conflictari longa inopia coguntur: quod me intime conscium ipsorum egestatis penitus excruciat. Etsi enim, pro sua cætera munificentia, rex propria illis quæpiam subsidia decrevit, tamen ea fere non solvuntur, ob difficultates ærarii, fiscalibus censibus per illos tractus maligne provenientibus. Quocirca æquum censeo te sic ex istic perceptis, aut percipiendis annuis reditibus, sumptum facere in nostrorum qui tecum vivunt alimenta et vestitum, ut ultra meram necessitatem in eo non prodeas: sed (per Dei obsequium et charitatem oro te) reputes quam non sit consentaneum te et tuos, quod fonti assideatis, redundare superfluis, dum Fratres vestri, quoniam procul pondus ferunt æstus et diei, utcumque indidem aquandi jus habeant, miseria et squalore consenescere.

Fac igitur, obsecro te, quantum res etiam ad vivum resecando poteris consequi, ut quamplurimum ex usu vestro istius pecuniæ supersit, quod opportune subministres Goani hujus curatoribus collegii, unde ipsi subveniant Sociis in Comorino promontorio, Colani et Cocini regnum Dei promoventibus conatu et ærumna maximis. Ergo si cujus istic fabricæ moliendæ cogitatio nascatur, cave suscipias, nisi plane perspexeris inevitabiliter necessariam.

Præterea in quotidiano victu tuo, nostrorum et alumnorum seminarii, frugalitatem adhibe, cui

expensa quam minima sit satis. In quo tamen adverte me per hæc parcimoniam usque ad sordes odiosam importunamque non præcipere: apage id quidem; quin planè veto quidquam omnino subtrahi veris necessitatibus domus et familiæ istius. Tantum peto ut, ratione et commiseratione habita inopiæ extremæ qua premuntur, in ora præsertim Comorinensi, operarii evangelici, redigat se intra fines arctæ sufficientiæ vestra charitas, tantisper dum aliunde consulatur illi afflictissimæ Ecclesiæ, in qua (quod flens memoro) tot parvuli sine Baptismo moriuntur, idcirco quia deest unde miserrimo illic sustententur victu sacerdotes nostri, qui si adessent, et, prout est opus, concursando assidue lustrarent illa infelicissima mapalia, tempori occurrerent infantibus ante Christo regenerandis quam vita decederent.

De modo exigendi vectigalia hoc in mentem veniebat admonere: non videtur expedire ut ea per te ipsum aut per ullum e nostris exigantur. Sed utendum ad hoc opera unius aut plurium amicorum laici ordinis, quos quasi procuratores tua vice constituas. In horum delectu habeatur primum ratio probitatis et religionis, ut ii sint qui in vitæ usu justi et æqui habeantur, et veræ in Deum pietatis specimen edant frequentandis Pœnitentiæ Eucharistiæque sacramentis, qualibus etiam conveniret pias aliquot commentationes, ex iis quæ ad primam *Spiritualium Exercitiorum* hebdomadem pertinent, a vobis tradi.

Cuperem deinde copiosos et domi locupletes homines, si talium idoneorum adesset copia, ad munus istud legi. Ad hos tenuibus in hoc genere præoptandos hæc me potissimum movet ratio. Non exigua pars hujusmodi censuum corrogatur e plebe inopi opificum ægre diurno manupretio victitantium. Hi plerumque cum, ut fit, ad diem solvendo non sunt, nisi exactores vectigalium moram indulgeant, damno suo maximo vexantur. Eam facile gratiam impetrent a divitibus, præsertim viris bonis et ad misericordiam propensis, qui e re ampla domestica nullo incommodo in antecessum conferre valent quod mox recipiant. Angusti a re familiari fere sunt ad talia inexorabiles, et jure summo agunt, pignerantes et prensantes acerbe debitores miseros, si quando in numerato non habeant unde ad præfixum terminum solvant.

Super omnia, per quantum obsequi ac gratificari Deo Domino studes, oro et obsecro te, cave ne in offensionem cujusquam incurras, aut justam præbeas occasionem querelarum. Id assequeris si te demisse modestum et ab omni specie fastus alienissimum semper populus observaverit; quare auspicari præfecturam edendis publice tui depressionis exemplis debes, obeundis palam omnis generis officiis humilibus, in nosocomiis, in custodiis, ministrando egenis, rudi plebe ac pueris docendis. Hæc in primis popularia amorem in te multitudinis accendent. Porro quos tui amor præoccupaverit, ii haud temere interpre-

tabuntur in partem sequiorem acta tua dictave. Vide autem ne sic bene auspicato tibi præpropera fiducia successum primorum perseverandi tædium oggerat, quin longanimiter contende ut ex bono in melius proficias, et id te facturum autumet populus; nam si remiseris industriam, non consistes in loco quæsitæ gratiæ, sed altius quam emerseras corrues: utique cum in ejusmodi qui desinit progredi, retro vel invitus rapiatur.

EPISTOLA VI.

P. Joanni Roderico, Armuziam.

De culpis, quibus Dei gloria et animarum fructus impediuntur; de observantia in proepiscopum, et in alios sacerdotes reverentia, ac de multis e Societate ob jactantiam dimissis; M. Gaspari mandata; venia culparum a proepiscopo exoranda, concionum forma, functiones omnes placide administrandæ. De rebus sibi pluribus scribendis, paucis episcopo. Socios Japonienses laudat, atque objurgationem ipsam miro condit charitatis sapore.

Cuperem deinde copiosos et domi locupletes homines, si talium idoneorum adesset copia, ad munus istud legi. Ad hos tenuibus in hoc genere præoptandos hæc me potissimum movet ratio. Non exigua pars hujusmodi censuum corrogatur e plebe inopi opificum ægre diurno manupretio victitantium. Hi plerumque cum, ut fit, ad diem solvendo non sunt, nisi exactores vectigalium moram indulgeant, damno suo maximo vexantur. Eam facile gratiam impetrent a divitibus, præsertim viris bonis et ad misericordiam propensis, qui e re ampla domestica nullo incommodo in antecessum conferre valent quod mox recipiant. Angusti a re familiari fere sunt ad talia inexorabiles, et jure summo agunt, pignerantes et prensantes acerbe debitores miseros, si quando in numerato non habeant unde ad præfixum terminum solvant.

Super omnia, per quantum obsequi ac gratificari Deo Domino studes, oro et obsecro te, cave ne in offensionem cujusquam incurras, aut justam præbeas occasionem querelarum. Id assequeris si te demisse modestum et ab omni specie fastus alienissimum semper populus observaverit; quare auspicari præfecturam edendis publice tui depressionis exemplis debes, obeundis palam omnis generis officiis humilibus, in nosocomiis, in custodiis, ministrando egenis, rudi plebe ac pueris docendis. Hæc in primis popularia amorem in te multitudinis accendent. Porro quos tui amor præoccupaverit, ii haud temere interpre-

tabuntur in partem sequiorem acta tua dictave. Vide autem ne sic bene auspicato tibi præpropera fiducia successum primorum perseverandi tædium oggerat, quin longanimiter contende ut ex bono in melius proficias, et id te facturum autumet populus; nam si remiseris industriam, non consistes in loco quæsitæ gratiæ, sed altius quam emerseras corrues: utique cum in ejusmodi qui desinit progredi, retro vel invitus rapiatur.

EPISTOLA VI.

P. Joanni Roderico, Armuziam.

De culpis, quibus Dei gloria et animarum fructus impediuntur; de observantia in proepiscopum, et in alios sacerdotes reverentia, ac de multis e Societate ob jactantiam dimissis; M. Gaspari mandata; venia culparum a proepiscopo exoranda, concionum forma, functiones omnes placide administrandæ. De rebus sibi pluribus scribendis, paucis episcopo. Socios Japonienses laudat, atque objurgationem ipsam miro condit charitatis sapore.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

SCIT Deus Dominus noster quanto mallem te alloqui præsentem, quam absenti scribere. Plurima quippe sunt quæ verbo coram multo et brevius et efficacius transiguntur, quam lento et ad subita exceptionum muto commercio litterarum.

Juvit quidem audire a recens istinc profectis quæ de te referunt; sed aliquanto plus juvisset accipere ab iisdem epistolam a te datam, qua rationem redderes fructus quem istic facis, aut ut castigatius loquar, quem per te Deus facit, quemque faceret si satis posset tibi fidere; sed omittere cogitur propter obstacula culparum et defectuum tuorum, quæ ipsius desideriis opponis; hæc nempe impediunt ne per te se manifestet. Cujus impedimenti accusare te ipsum assidue deberes, dolereque cum pudore ac pœnitentia, quod vitio tuo non sis aptum in Dei manu instrumentum ad magna et præclara quæ parat; damno ingenti et uni tibi imputabili, tum gloriæ majoris ad ipsum, ni per te staret, rediturae, tum multo uberioris exstituri fructus animarum quibus curandis vacas, in quas o quanta Dei dona et cœlestes favores intercipis, eo solo quod talis non es qualem esse par fuerat! Quare memento sollicite tecum reputare quam severe ratio in supremo judicio repetenda sit a te bonorum, quæ Deus fieri vellet et facere paratus est, sed ea ne faciat tu impedis.

Hoc tibi pro potestate impero ut domino proepiscopo te valde obedientem præbeas, ut nonnisi eo probante ac volente concioneris, confessiones audias, missam celebres; et adverte hoc non a me consuli, sed mandari, atque adeo in virtute sanctæ obedientiæ prohiberi, ne quacumque tandem ex causa dissidium cum proepiscopo facias, aut simultatem unquam ullam cum illo suscipias. Quod tranquille ac cum bona ejus gratia poteris efficere, in hoc incumbe; confido enim eum, pro mea de virtute ac charitate ipsius opinione, si te humilem ac morigerum viderit, promptiorem fore ad liberaliter concedendum quod opus fuerit, quam te ipsum ad petendum.

Aliis sacerdotibus multam exhibebis venerationem ac reverentiam; cavebis autem diligenter ne quemquam eorum spernas, aut ulla contemptus specie offendas. Amicos omnes habe, præluce iis exemplo obediendi proepiscopo; sic imitatione sacerdotum pariter omnium condiscet populus plenam atque integram, quam pastori suo proepiscopo debet, obedientiam. Atque hunc exempli fructum tanti velim æstimes, ut plane statuas te, præeundo cunctis specimine humilitatis et obedientiæ, longe plus quam concionando proficere.

Cave singularitatem affectes ostentando te mundo et auram captando popularem; quin potius ab omni ambitu celebritatis ac famæ vanæ abhorrere te demonstra. Multis e nostra Societate multum nocuit ista jactantia et studium arro-

gans singulariter eminendi. Multos e Societate dimisi ex quo e Japonia redii, quia eos isto vitio inter alia infectos reperi. Attende tibi ac sollicite cave ne quid committas ob quod tu quoque dimittaris. Ut ea qua par est animi demissione in Societate vivas, tecum reputa quanto tu Societate plus egeas, quam Societas te. Propterea vigila semper, nec tui unquam obliviscere, nam immemor sui qui speretur memor futurus aliorum? Hos tibi versus exaro dictante amore tui vero sinceroque, instigantibus lævis hic increbrescentibus nuntiis haud tantum in te modestæ demissionis, tantum obedientiæ conspici, quanto esset opus ad publicum istic exemplum.

Mandavi Magistro Gaspari ut ad te scriberet; causa mandandi fuit, quod cum is usum magnum istius gentis atque urbis commoratione ibi longa paraverit, sperabam posse illum tibi opportuna et perutilia suggerere ad rem illic gerendam, prout ad majus Dei Domini nostri obsequium expedit. Quocirca litteris ejus par auctoritatis pondus ac meis tribues; quin iis sic tanquam a me scriptis deferas, et quod præcipient exequaris jubeo.

Ne tractationi matrimoniorum intricari te sinas moneo; neve illos, qui clandestina inierunt conjugia, absolvas unquam sine expresso mandato ac bona venia proepiscopi; et hoc ut ita facias mando tibi in virtute sanctæ obedientiæ.

Quando Magister Gaspar ivit Armuziam, certas illi regulas præscripsi quarum illic ductum se-

queretur. Ejus parænesis exemplum audio ab eo relictum istic. Legas illud velim semel quavis hebdomada, ut memoria semper recente præceptorum in ea digestorum, iis in operando dirigaris, quo te juvandum confido ad rectam ineundam Deo inserviendi rationem.

Pro eo quanti referre arbitror, ad majus Dei obsequium, exhiberi a te proepiscopo summam demissionem et obedientiam, impero tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut hac istius indicatrice præcepti epistola visa, coram proepiscopo positis humi genibus procidas, veniamque supplex petas inobedientiarum et culparum quibus ei hactenus molestiam facessivisti, tum illi manum osculaberis, profitens te jussu meo id facere. Inde ab illo audies quid velit a te fieri, obedienterque quidquid jusserit exequeris.

Quo autem ista tua cum proepiscopo consensio non exigui sit temporis, sed fixa firmaque semper duret, singulis deinceps hebdomadis eum semel invises osculaberisque manum ejus, demissionis pariter et obedientiæ specimen id illi ac pignus exhibens. Cave autem hoc unquam omittas, etiamsi reluctetur natura, judicioque ac genio tuo proprio vim in eo te facere magnam oporteat. Totum enim id plane sic debet fieri, ut confundatur malus dæmon auctor discordiarum et inobedientiæ.

Diligenter attende ne dicendo ad populum de sacro pulpito perstringas aut pungas quemquam; ne curiosas, et speculationis nimis attenuatæ aut

eruditionis ambitiosæ doctrinas ostentes. Verum argutiis et farraginibus istiusmodi omissis, argumenta solida graviter pertracta. Peccata in quæ passim multi e populo incurrunt, objurga cum magno zelo divinæ gloriæ, sed cum pari semper modestia. Peccatores ipsos, etiam ut tales palam agnitos et latere non curantes, non tamen pro concione reprehendes, sed privatim conventos fraterne monebis.

Atque de toto hoc genere sic habe, jucundius mihi fore tantulum a te fructum fieri quantulum exprimit hæc lineola ———, multesima pars versiculi unius, sine tumultu ex cujusquam offensione nato ; quam tam ingentem, ut ei designando vix sufficiat linea totum versus prælongi, qua late patet, spatium exæquans, hoc modo

——————————————————————————,

si magnum illud operæ pretium inter querelas læsos se ferentium plurium aut etiam unius, strepitu et certaminibus extorquendum est.

Et quia certissime persuasus sum præcipui hanc rem momenti esse, atque adeo hinc pendere spem ac facultatem omnem veri profectus animarum ad Dei gloriam procurandi, commendo impense tibi, ut hoc monitum alte defigas in animo semperque usu teneas; functiones omnes tuas, præsertim sacras, administrans placide, cum amore ac blanda significatione charitatis, sine impetu incursuve iræ ac sonoro conflictu obstantium.

De fructu quem per te Deus facit in ista civitate scribas mihi velim fuse, singillatim ac minutim, distincte referens quam bene tibi cum proepiscopo, cum reliquis sacerdotibus conveniat; ut tu illos observes, ut illi te vicissim ament; denique quæ quantaque tua sit apud populum gratia; an ullo rumore aut querimonia cujusquam interpellata.

Eas litteras Goam mitte; etsi enim vigesimus ab hoc dies meæ hinc profectioni constitutus est, dabo tamen in mandatis hujus collegii Patribus, ut mihi ad Sinas, quo tendo, epistolas tuas perferendas curent. Ibi eas videndi, et ex iis quæ volo nuntiantibus gaudendi cupidissimus exspectabo.

Res Japonicæ valde prosperum Dei beneficio cursum tenent. Ibi remanserunt Pater Cosmus Turrianus et Joannes Fernandez, intenti excolendis iis qui jam plurimi Christi religionem susceperunt, quique quotidie suscipiunt. Callent ambo linguam illius gentis, et strenuo usu instrumenti tam necessarii fructus longe uberrimos metunt. Navigant illuc hoc anno aliquot Fratres nostri adjuturi eos, et participes futuri laborum supra quam exprimere scribendo queam ingentium, et sine ulla comparatione superantium labores utcumque maximos, quos hisce in partibus cæteri Socii exantlant.

Hæc indico tibi, ut continue divinam illis opem impetrare studeas, quotidianis tuis Sacrificiis et perpetuis orationibus. Quando ad hoc Goanum collegium litteras dabis, ne omittas inserere

fasciculo epistolam brevem quidem, sed omnibus infimæ tuæ venerationis et devotissimæ obedientiæ contestationibus insignem, inscriptam domino episcopo, in qua etiam ei rationem reddes eorum quæ istic agas. Hoc enim illi debetur, tum quia prælatus noster, tum quia summa extat ipsius in nos charitas, et in omnibus quæ potestatis ejus sunt impense nobis favet.

Hanc epistolam tanta libertate scripsi tibi ut homini virtutis et perfectionis non vulgaris, qui moneri boni consulat, atque adeo reprehendi utiliter malit, quam inanibus adulatiunculis lactari, quia sano judicio et gustu salubria discernit a noxie dulcibus. Blanditias videlicet et verba ad gratiam composita fueram adhibiturus, si cum homine infirmo ac debili me agere putarem; nunc fiducia roboris et soliditatis tuæ, non dubitavi dissimulationem omnem abjicere, pandereque tibi sine ambagibus sensus intimos meos. Quo nomine Deo grates referas censeo, quod te talem fecit, cui crudam et sine condimento non imprudenter potuerim apponere veritatem: nempe ista tibi sapientia, cujus ad gradum tam sublimem progressibus longis profecisti, facile inspirat contemptum malesuadarum assentationum, præ quibus objurgari potius appetis, quam a verentibus tuam, ut imbecilli ac teneri, offensionem obnoxie nec sincere collaudari. Pueris hæc aut novitiis conveniant; fortibus in Dei militia fecerit injuriam, qui parvulorum eos pascendos lacte, ac molli nutritiorum indulgentia confovendos duxerit.

Non prius, mihi credas velim, expedivi calamum ad hæc exaranda tam simpliciter ac nude, quam, divini Spiritus implorata luce, sensi ejus impulsum incitantem ad audendum tibi scribere eo stylo quo cum perfectis, et inchoantium aut parum provectorum debilitates supergressis, agendum est. Ac quoniam per Dei misericordiam cito in gloria paradisi videbimus invicem, verbum non addam postquam te oravero, ut memor ac reputans quanto tui amore, cujus testem Deum habeo, has ad te litteras dederim, pari tu eas suavitate mutui affectus excipias, illud idem legendo spectans quod ego scribendo intuebar, Dei Domini nostri majorem gloriam, et majus bonum animæ tuæ mihi carissimæ. Vale.

Ex hoc Goano Collegio *Sanctæ Fidei*, XI. Kalendis Aprilis Anno MDLII.

Hanc epistolam ostendes domino proepiscopo.

Tuus in Christo Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VII.

P. Simoni Roderico.

Andream Carvallium in Lusitaniam remissum commendat.

Gratia et amor Jesu Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

SCRIPTURUS mox ad te fusius de rebus Societatis in his terris nostræ, hanc segregatam et peculiarem paucis absolvam epistolam, cujus argumentum idem et tabellarius Andreas Carvallius erit.

Hunc ego perbonum juvenem valetudinis gratia remittendum ad vos censui. Hic enim ægre vitam trahebat, et qua ætate atque indole est, medici sperabant patrii cœli haustu reparari vires ejus morbo prostratas, et in integrum posse restitui.

De illo hoc peregre rediens, concordi omnium qui hic sunt testimonio comperiebam nulli eum nostrorum his in locis degentium, dotibus naturæ, profectibus doctrinæ ac donis gratiæ cedere; magnamque in ejus juventute spem passim majores natu collocant, ob virtutes quas in eo posuit Deus Dominus noster, quasque per suam misericordiam augebit. Equidem ita esse ego

quoque arbitror ut dicunt; et libenter hujus spei te gaudio impertio, optans tecum vovensque ut crescat *in mille millia hic Frater noster*, et Societatem exspectato fructu cumulet. Oro ergo te per Dei Domini nostri amorem atque obsequium, carissime mi Frater Simon, ut Andream Carvallium ea istic charitate excipias, qua et ego et ipse speravimus excipiendum eum et recreandum a te.

Quid in hisce partibus novi contigerit, copiose ac minute perscribam ad vos, Deo juvante, antequam solvam Cocinum versus, quod futurum puto circiter quintumdecimum abhinc diem. Deus Dominus noster nos in paradisi gloria conjungat; nam quando in hac vita congredi coram et amplexari mutuo possimus, equidem non video. Illud pro certo habe, dulcissime Frater Simon, insculptam animo penitus meo me quocumque circumferre imaginem tui, cujus objectu te in spiritu continue cerno. Jamque illud quo diu prope impatienter exarsi, te præsentem oculis corporis spectandi, desiderium fero levius, illo me assidue interiori desiderati capitis aspectu consolante. Vale.

Scribebam Goæ VI. Kal. Aprilis Anno MDLII.

Tuus in Christo.

FRANCISCUS.

EPISTOLA VIII.

P. Paulo Herediæ.

Egregia operarii evangelici forma.

HÆC tibi, quæ Cocini usu teneas, mandata præscribo.

Primum omnium, quantum erit in te situm industria et contentione omni adhibita, da operam ut totius illic populi (sacerdotum ac religiosorum) tibi concilies amorem, præsertim autem sodalium et moderatorum Ædis sacræ *Matris Dei,* sollicite exquirens et sedulo adhibens omnes vias et rationes eis certo persuadendi te non aliud in votis habere, quam obsequi voluntati eorum, et augere pro virili religionem ac venerationem populi versus istam sanctam domum *Matris Dei.* Itaque eos crebro perofficiose invises, et ad eos cum fiducia confugies in tuis spiritualibus necessitatibus dubiorum et anxietatum, consilium postulans.

Necessitates vero corporeas pauperum tuam opem implorantium referes ad Sodales *Misericordiæ,* causas apud illos miserorum per te agens et inde iis subsidia procurans, quæ videlicet ex tua domestica inopia suggerere non possis ipse,

quod profiteri te convenit, efficereque ut intelligant pauperes id quod a te accipient e penu tua non depromi, sed Sodalitatis *Misericordiæ* liberalitate donari.

Ac cum ista occasione inopes ad te accurrentes exponent penuriam qua laborant rerum corpori necessariarum, tu vicissim illos admonebis de inopia, quam minus sentiunt cuique consulere parum curant, opportunorum ad salutem animæ subsidiorum, quorum tamen copiam in promptu habeant si uti velint. Quare ne id negligant hortaberis, magnopere suadens ut mentem ad Deum vertant, ipsum orent, adorent, mysteriis rite usurpandis confessionis et Eucharistiæ sibi propitient: ad quod tuam illis paratam exhibebis operam, ostendens te ipsis illo functis officio primario, nequaquam defuturum in cæteris commoditatibus vitæ ac victus, ista de qua est dictum ratione impetrandis.

In usu cum hominibus omnis generis promiscuo, id enixe affectabis ut modestia in te tumore vacua æque a cunctis observetur, neminem non benigne ac demisse alloquendo, singulis cum ecclesiasticis tum sæcularibus honorem, quantus cuique competit, prolixe deferendo: (ut enim ex S. Gregorio nosti, humilitas amorem, superbia odium parit.) Si quid fructus ex tuis ministeriis exstabit, ejus laudem haud appetes, vel ultro delatam accipies; sed totam in solidum iis tribues quos tibi auctores adjutoresque, adeoque præcipuos effectores piorum istiusmodi operum

fuisse, grate ingenueque profiteberis. Id spectanti et in eo elaboranti tibi, ut bonum per te nomen nostræ Societatis augeatur, persuasissimum esse convenit, tum te duntaxat navaturum in hoc operam et voti ejus compotem futurum, cum ingens demissionis, et alienissimæ a fastu omni modestiæ passim specimen præbueris; etenim qui te vere humilem aspicient, et tui quem intuentur, cæteros quos non vident, socios arbitrabuntur esse similes, veram scilicet informabunt ideam Religiosorum Societatis Jesu, institutumque id impertient ea, quam despicientia sui facile a quibusvis impetrat, approbatione gratiaque.

Una ea via est famæ Societatis propagandæ; quod facilius intelliges, si memineris eos, qui primi laboribus in Ecclesiæ obsequium suscipiendis huic Ordini celebritatem pepererunt, omnium id quidem exercitio virtutum, sed præcipue neglectus humanæ gloriæ, ac sui depressione, quam cæterarum fundamentum agnoscebant, exemplis ubique clarissimis edendis id fuisse assecutos. Hos tu imitando, et te dignum isto nomine probabis, et ejus existimationem promovebis; aliud iter sequendo aberrares videlicet, ac quod illi construxerunt everteres.

Ante omnia memento auctoritatem apud populum, gratiamque ac plausum multitudinis, Dei solius donum esse, quod ille largiturus sit illis duntaxat quos ea virtutum soliditate roboratos videat, ut eos jure confidat isto tam insignis

efficaciæ talento recte ad sui ipsorum, et hominum quibus juvandis vacant, salutem usuros. Quos autem ita comparatos cernit, ut fructum, si quem ex suis ministeriis referent, ad propriam derivaturi jactationem sint, merito mulctat ista gratia, non vertens in eos studia hominum, nec aspirare iis a puppi sinens auram favoris popularis, ne dona Dei contemnantur imputata conatibus humanæ industriæ, et discrimine sublato Sanctorum et imperfectorum, tepidi ac minus accurati in Dei obsequio, mendaci suffragio successuum et falso famæ præconio in speciem virtutis exquisitæ subornati, honorem operariis vere apostolicis debitum a plebe imprudenti consequantur.

Tu itaque fac Divinum Numen continue atque instanter ores, ut tibi sensu mentis intimo nosse tribuat, quæ quamque gravia ex te obstacula opponas profectibus Evangelii, impediens vitio tuo ne Deus quantam vellet sui notitiam indulgeat isti quem male curas populo, cui scilicet ad persuadendum quæ opus est, auctoritate idonea destituaris tua culpa, quod istud cœli munus fervore ac fidelitate debitis non promerueris.

Quando statis quotidie temporibus, juxta nostræ Societatis usum, actiones tuas ad calculos revocas, inquirens ecquid in iis pecces, ne omittas severissime discutere quemadmodum te geras in administratione Verbi Dei ex ecclesiastico pulpito, sacramenti Pœnitentiæ e sacro tribunali, in promiscuis denique sermonibus ac congressu

quotidiano cum hominibus, accurate observans quæ in his aut negligenter omittis, aut agis perperam, serioque decernens ac mox fideliter exequens necessariam emendationem. Hanc enim si statim a culpæ notitia adhibeas, non cunctabitur benignissimus Dominus cum suis ultro donis tuæ pœnitentiæ occurrere, ac suis in te cumulandis gratiis detrimenta præterita in profectus uberrimos vertere.

Nolim autem (quod multi faciunt) te spem conciliandi tibi populi in humanis artificiis constituere, callideque grassari ad gratiam celebritatemque vulgi eblandiendam, iis obnoxie faciendis aut dicendis quæ grata jucundaque multitudini esse perspexeris. Indigna Evangelii præcone ista sedulitas est; quippe quæ, præterquam individuam trahit comitem pruriginem vanæ gloriolæ a populo captandæ per sane periculosam, etiam est injuriosa Christo Domino nostro: quippe cujus honorem istiusmodi prædicatores, quem spectare ante omnia deberent, suæ ipsorum famæ posthabent, in primis quærentes laudem propriam, eaque adepta, ut jam optati compotes, facile remittentes ardens studium divinæ gloriæ per veram ad Deum conversionem animarum summo conatu procurandæ.

Hæc quæ dixi hactenus, acri mentis attentione perpendas censeo, desque operam ut istiusmodi sensibus intimos tui animi sinus imbuas penitusque perfundas, haud sinens evolare si quid, prout solet, benignissimus Dominus tibi divina

meditanti cœlestis illustrationis afflaverit, sed id diligenter in libellum ad memoriam conferens. Magna pars, mihi crede, veri profectus in spiritu Deo servientium in hac observatione et sollicita recogitatione notitiarum istiusmodi, orando ac commentando perceptarum, sita est. Etenim si momentaneis istis aliquando dignatus quispiam divinæ lucis radiis, veritates per eos detectas litteris consignaverit, longe alio videlicet animi motu fructuque istam ex intervallo scripturam releget, quam si non esset expertus quæ chartæ illevit; quin etiam luculentas illas formas quasi fugitivas retrahet, iterumque regustabit vivos sensus, aut eorum certe clariori recordatione saluberrime vegetabitur ad ferventer operandum sapiendumque, prout convenit ex præsenti usu. Latum enimvero discrimen saporis ac gustus spiritualis est inter vulgares lectores istiusmodi rerum a sanctis e congressu cum Deo recentibus scriptarum, et eos qui propria in iis et alias experta recognoscunt; qua memoria et sensu intimo qui carent, parum sane tali lectione proficiunt.

Propterea auctor magnopere tibi sum ephemeridum hujus generis sedulo conficiendarum, diligenter in codicillis annotando quæ tibi, quotidianas commentationes obeunti, arcana lumina divinitus affulserint, ea in maximo pretio habendo, teque illis indignum reputando, ac tanto, ut par est, deprimendo profundius, quanto te per ista Deus dignantius extollit.

Pone in eo sedulam et efficacem operam, ut tibi ne desit copia fidelium et perspicacium amicorum etiam sæcularium, qui et satis oculati sint ut quos in concionando, in audiendarum confessionum ratione, in cæteris id genus functionibus, defectus admittis videant; et satis liberi ut te de illis sincere moneant; ac tu lapsus tuos per hunc modum cognitos emendes ac præcaveas, prout convenit.

In sacro confessionum audiendarum ministerio festinationem perfunctoriam vitabis, et patienter attendes negotio, quo in majorem certioremque profectum pœnitentes promoveas. Itaque cum sub manum venient qui et egeant et capaces opis sint, et alioqui vitæ statum satis habeant compositum, ut iis et libeat et vacet dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipsos jube sustinere per dies aliquot, comparando se ad veram detestationem peccatorum ex dolore Dei omnipotentis et summe amabilis offensi. Ad hunc finem præscribe illis commentationes pias de morte, de judicio, vel de pœnis damnatorum apud tartarum, ex quibus intelligentes quam atrocibus se malis implicuerint peccando, odium tædiumque prave antehac actorum tale concipiant, ut ex contrito corde veras extundant lacrymas, et propositum emendationis, cui recte fidi possit in vitæ consequentis durabilem innocentiam, eliciant.

Hoc maxime in iis observandum, quibus inter irritamenta peccandi et bene operandi obstacula

vitam agentibus, pro humana fragilitate non tuto creditur sine pignore, pollicentibus in tempus futurum meliora. Ejusmodi sunt qui graves simultates exercuere cum nondum reconciliatis adversariis, qui amoris flagitiosi commercia nondum sic abruperunt, ut in lubrico redituræ occasionis satis tuti a lapsu putentur, denique qui rem alienam detinentes reddendi moras hactenus nexuerunt. Hos omnes post confessionem exercebis asceticis meditationibus ad statum ipsorum accommodatis; et sic demum ubi satisfecisse videbuntur absolves, et dimittendo adhortaberis ad se crebro deinceps sistendum sacro tribunali pœnitentiæ.

Quoties incidet ut ii quibus aures confitentibus das, pecuniæ male partæ conscii, eam ad te deferant pro arbitratu erogandam in pauperes, quod ejus domini non exstent, ex ea tu nihil unquam ad tuum aut collegii usum, quantavis premaris inopia, conferes, ac neque arbitratu tuo personis aut familiis egentibus disperties; sed totam præfectis Sodalitati *Misericordiæ* consignabis, ab illis prout videbitur dispensandam. Sic præcidetur aditus suspicionibus de te parum honestis, et auctoritatem promovendo Dei cultui necessariam dementibus.

Ea semper circumspectione ac prudentia te adhibe in congressibus et colloquiis omnis generis hominum, quibus ad bonum promovendis quotidianam navas operam, ut nulla unquam quantavis fiducia familiaritatis excidat tibi loquenti

vel agenti quidquam quod illi, si, quod potest fieri, et tu pro eventuro habe, a te averterentur, exprobrare jure possent. Hæc cautio cum ad tuum ipsius, tum ad eorum quos excolis profectum permagni momenti est.

Peccata confessis cum significatione pœnitentiæ et absolvi poscentibus, ne annuas antequam satisfactionem repræsentaverint, in triplici præsertim genere, odiorum, amorum, et injustæ detentionis rerum alieni juris. Jube prius reconcilient palam cum inimicis gratiam, procul amoveant offendicula pudicitiæ, inique occupata dominis reponant, expleant denique si quid aliud præverti ad securitatem expediat. Nec sola promissione defungantur; nam cum hominibus horum tractuum tam promptis et liberalibus ad obligandam fidem, quam ad exsolvendam tardis ac segnibus, cum arrha in manu transigendum est.

(Quoad ejus facere Deo juvante poteris, id ages ut bonum nomen odoremque Societatis tuearis et augeas, ingenti scilicet humilitate, sanctitate, animarum zelo, laboribusque pro eis susceptis; nam qui eidem celebritatem qua gaudet pepererunt, hac ratione favente Deo sunt eam assecuti. Ipse tecum sit semper. Amen. Goa die 2. Apr. 1552.)

Tuus in Christo Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA IX.

Melchiori Nunnezio.

Hortatur ad omnium virtutum exempla, charitatis in primis, demissionis animi, et observantiæ in sacerdotes ac magistratus omnes. De rebus ad regem scribendis, exigendisque vectigalibus.

SUMMOPERE te oro quæsoque, ut pro tua erga Christum charitate ac studio divinæ gloriæ, ubique Christi bonus odor esse studeas, teque exemplum omnium virtutum civitati proponas; omnino autem caveas ne qua in re animos hominum offendas: id consequeris, si moderatio in te et christiana enitebit humilitas. Itaque initio in humilibus officiis te et abjectis exercebis sedulo; cives utique, hac ratione conciliati, quidquid dices aut facies bonam in partem accipient, idque hoc etiam magis, si in eisdem illis officiis perseverare te in dies ardentius viderint. Quare te vehementer oro ne obliviscaris tui in virtute progressus, neque enim te fugit qui in virtutis via non progrediatur regredi.

Iterum a te peto quæsoque per Deum, ut tuo exemplo populum excites ad pietatem. Si submissione animi et prudentia instructus eris, non dubito quin et tui operis fructus uberes laturus

sis, et bonus plane concionator futurus. Siquidem humilitas et prudentia multarum sunt magnarumque rerum parentes ac magistræ. Valetudinaria et vinctorum custodias crebro visitabis; hæc enim christianæ humilitatis officia, prætērquam quod Deo grata sunt et hominibus salutaria, non vulgarem etiam apud populum existimationem atque auctoritatem pariunt, etiam iis qui neque munus habent neque facultatem concionandi.

Præfecti, vicarii, sacerdotum, Sodalium *Misericordiæ*, regiorum magistratuum, civitatis universæ amorem et conciliabis tibi et tueberis diligenter; permagni quippe id refert ad flectandas quocumque opus sit hominum voluntates, tum concionando, tum confessiones audiendo, tum congrediendo. Ad novum istum christianorum fœtum fovendum et augendum, sane velim auctores adjutoresque adhibeas præfectum, vicarium, et Sodales *Misericordiæ*. Proinde id ages ut quantacumque accessio divino cultui per te facta erit, illis accepta referatur. Sic enim fiet ut tuos conatus magis adjuvent, impediant minus. Atque etiam consequeris ut in tuis difficultatibus ac dimicationibus amicos ac patronos habeas plures, adversarios pauciores aut potius neminem. Quis enim oppugnare te audeat, quem constet talium virorum præsidio tectum esse? Itaque si quando de christianæ fidei propagatione litteras ad Lusitaniæ regem dabis, honorificam et gratam de egregia eorum erga rem christianam volun-

tate facies mentionem, atque ipsis, si videbitur, eas litteras ostendes, omninoque petes ab rege ut illorum erga nos Christique religionem officia grata sibi accidisse significet, et eorumdem studia per litteras ita collaudet, ut omnia divini cultus reique christianæ incrementa ipsis potissimum attribuat secundum Deum.

Ad regem nunquam, nisi de rebus ad religionem ethnicorumque conversionem pertinentibus litteras dabis, nam de cæteris negotiis ad Socios in Lusitaniam scribere oportebit.

Ad offensiones hominum vitandas, collegii et neophytorum vectigalia neque per te ipse neque per alium e Societate, si fieri possit, sed per alium quempiam hominem idoneum exigas velim. Neque enim erit, opinor, difficile procuratorem aliquem reperire locupletem, ne nostrarum fortunarum periculo negotietur, neu acerbius exigendo pauperes vexet, quem divinarum rerum meditationibus instructum ad sacrorum mysteriorum frequentationem adducas, eique muneri volentem præficias.

Deus nos pro sua benignitate conjungat in cœlo.

Dat. III. Non. Aprilis, Goæ.

EPISTOLA X.

P. Melchiori Nunnezio Soc. J. Bazainum.

Spargendus bonus Societatis odor; necessaria concionatori humilitas. Qui publice offendit e Societate dimittendus. Redituum impendendorum ratio. Sedula charitate et humilitate nanciscenda apud omnes gratia, et uberrimus animorum fructus colligendus. De conscribendis epistolis.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Ab homine tibi cognomine Melchiore Gonzalez litteras tuas accepi, quas legi cum non exigua voluptate.

Utinam det tibi Deus gratiam bonum istic odorem nostræ Societatis spargendi, quando tanta exstat in nos offensio istius populi. Per ego te quantum inservire ac gratificari Deo Domino studes, oro et obtestor quam possum instantissime, da operam efficacem conciliandis tibi ac Societati hominibus, nihil quod tuarum sit partium quantumvis arduum in hoc prætermittens. Si fueris humilis et prudens, magna me spes tenet te plurimum, Deo juvante, fructum relaturum.

Mitto istuc ad te Franciscum Henriquez, ut Tanæ commoretur cum Manuele. Osorius poterit remanere vobiscum attendendo rebus domesticis, et Barretus scholas litterarias habendo, te spiritualibus ministeriis vacante, conversando cum omni hominum genere pie ac sancte, doctrinam christianam explicando, concionando.

Ac conciones quod attinet, placuit plurimum quod scribis de apparatu, forma et tota ratione quam in iis tenere instituisti. Insistas viam istam censeo, et quam frequentissime potes te sic exercita; spero enim fiducia non defuturi favoris Dei Domini nostri te, si fueris humilis, in magnum concionatorem evasurum.

Franciscum Lopez in hoc Collegium destinabis cum prima nave quæ istinc solvet.

Quæ tibi scripto mandavi de modo istic rem evangelicam gerendi, fac crebro relegas. Multa de his alia te docebit ipse usus et experientia successuum, si fueris humilis et prudens, atque attente circumspicias quæ occurrunt, considerans et ea comparans cum monitis et mandatis hinc acceptis. Franciscus Henriquez Tanæ, quo mittitur, tuæ gubernationi subjectus deget. Ac velim te illi pro imperio mandare ut diligentissime caveat a quoquam offendendo, ut se mitem et insigniter patientem in omni occasione præbeat. Aliunde porro inquires per fidos exploratores, an justam ille aut alius e nostris cuipiam illic offensionis ansam offerat. Id si compereris, impigre occurre opportuno repræsentando remedio. Sic

te tibi primum ipsi, deinde aliis invigilare velim.

Quod si quem nostrorum deprehenderis in peccato graviori in publicam offensionem erumpente, ac non sine ratione irritante in nos populum, hunc confestim e Societate dimitte; nam quos dimiseris ego jam nunc pro rite dimissis habeo, quoniam tantum confido tuæ prudentiæ, ut certum habeam neminem a te nisi justis de causis dimittendum.

Circa reditus annuos istius collegii curabis, ut potius in ædificationem spiritualium templorum, quam sensibilium ac materiariorum impendantur. Ex hoc secundo genere sacrarum ædium saxo aut ligno excitandarum, in eas tantum pecuniam insumes quæ prorsus erunt necessariæ, quarumque sine gravissimo incommodo publico recusari constructio non possit. Si quæ ornatus tantum splendidioris aut speciei augustioris obtentu proponuntur, eas, ut quibus præverti urgentiora res exigat, in commodiora differenda videri tempora excusa. Quod ergo ex vectigali abundaverit, pueris indigenarum, prout tibi præcepi, in sana doctrina et probis moribus educandis absume. Hæc enim spiritualia templa sunt quibus Deus magis honoratur; siquidem hi pueri quando in viros adoleverint, bonis exemplis et communicatione doctrinæ perceptæ instrumenta Deo erunt rerum ad ejus gloriam et hominum salutem maximarum.

Ante hos dies paucos istuc misi Paulum Guzarate, qui in hoc collegio multis annis institutus

est; disertus hic multum est lingua populari, et satis doctrina paratus ad tradenda christianis indigenis elementa fidei. Poterit quin etiam utiliter ad populum dicere, si quod interioris illi eruditionis deest, nostri non ita ut ille lingua vulgari prompti opportune suppleant, digerendis illi argumentis et materia subministranda concionum.

Probo quod scripsisti de censu collegii, videri tibi fideliter curandum, ut juxta regis mentem tabulis ejus fundationis significatam expendatur. Id ego quoque sic omnino volo fieri, tum quia justitiæ officium ita præscribit, tum ne offendatur populus animadvertens, quod absit, hoc negligi. Postquam tamen omnium istinc pauperum, juxta diplomatum præscripta regiorum, abunde consultum necessitatibus fuerit, si quid superesset, non est dubium quin recte ac rege non invito conferretur ad juvandos quos hic habemus pauperes, præsertim istic natos et olim utiles futuros, ut in Paulo Guzarate nunc probatur.

Quare si e vestiario inopibus istic e collegii vectigali distribui quotannis solito, quædam panni volumina usui præsentium redundarent, ea posses mittere huc ad nos (si tamen sine querela vel offensione cujusquam id fiat). Habemus enim hic seminarium alumnorum quibus vestiendis peropportune advenirent; cum eo tamen, ut dixi, ut nihil quidquam subtrahatur omnino ulli egenorum Bazainensium, quibus primatus in usu istius regiæ gratiæ de jure competit. Quocirca

vide ut plene illic prius cunctorum votis ad conscientiæ nostræ exonerationem et Dei majus obsequium satisfiat. Hoc expleto, si nihil inde quod huc aspergatur superest, nos isto subsidio æquo scilicet animo carebimus.

Tu de cætero totum te impende continuo exercitio dicendi ad concionem, audiendi confessiones, visendi ac solandi ægrotos in nosocomio, vinctos in carcere, ac similium operum charitatis in proximos, prompte accurrendo ad cuncta ejus generis officia, quoties te invitabunt isti proprie curæ dediti moderatores Sodalitii *Misericordiæ*. In talibus si strenue cum charitate et humilitate ministraveris, nancisceris, Deo dante, gratiam et auctoritatem apud civitatem; et quamlibet parum disertus sis, illa ipsa tamen, quantulamcumque poteris exerere, zeli et modestiæ comitatu corroborata dicendi facultate, in populo motus ingentes ciebis animorum, et fructum colliges uberrimum.

Tantum vide (quod iterum etiam atque etiam commendo), ut arctam cum proepiscopo consensionem et amicitiam teneas, ut cum aliis sacerdotibus qui istic degunt, cum præfecto ac magistratibus regiisque ministris, denique cum universo populo prudenter, humaniter, demisse, benevole te geras. Mihi crede: spes ampli successus in perorando e sacro pulpito non est sita in exquisitione doctrinæ, in elocutionis elegantia, in pompa et specioso choragio facundiæ. Caput et compendium artis est iis probari et placere

quos alloquare, et prius parasse claves cordium quam aurium aditum tentes. Persuadebis quod voles, si te qui audiunt amaverint, et facile plurimos Deo conciliabis, si a te neminem abalienaveris.

Proximo septembri, quo tempore spero me futurum Malacæ, fac illic mihi tunc occurrant plenæ ac copiosæ tuæ litteræ, quibus me doceas distincte ac minutatim de fructu tuorum ministeriorum. Scribes etiam multo scilicet crebrius, pro vicinia et copia quotidiana huc inde commeantium, Patribus hujusce collegii.

Deus Dominus noster nos conjungat in gloria Paradisi. Amen.

Scribebam Goæ hodie III. Nonas Aprilis An. MDLII.

Tuus in Christo Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XI.

P. Gaspari Barzæo.

Goani collegii Rector constituitur. Refractarii et superbi e Societate expellendi, vectigalia fideliter expendenda.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Ego Franciscus indignus Præpositus Societatis Jesu per hos Indiarum tractus, fretus tua, Magister Gaspar, humilitate, virtute, prudentia, cæterisque dotibus quæ te satis idoneum regendis aliis efficiant, mando tibi in virtute sanctæ obedientiæ ut præfecturam capessas hujus collegii Goani *Sanctæ Fidei*, Rectorisque nomine ac potestate illi præsis.

Jubeo præterea subesse auctoritati tuæ Patres omnes ac Fratres Lusitanos Societatis Jesu, quicumque citra Promontorium *Bonæ Spei* huc, et hinc usque Malacam, Moluccum, Japonem, ubicumque harum regionum degunt. Eos quoque qui posthac e Lusitania, vel alia quavis Europæ parte, in has provincias et domos Societatis advenerint meo regimini commissos, universos tuæ potestati subjectos volo; nisi si quem nominatim rectorem hujus collegii Goani destinaret Pater noster Ignatius, quem jam per litteras rogavi, expositis prolixe rationibus cur id necesse videatur, ut mittat huc virum aliquem in primis experientem et cui fidat plurimum, ad moderandum hoc collegium, et regendos nostros omnes, qui in circumsitis stationibus aut missionibus ex eo pendent.

Si ergo quispiam e Societate cum mandato a Patre nostro Ignatio, aut alio Præposito Generali Societatis Jesu, rite subscripto quod exhibeat, Goam appulerit ad regimen capessendum hujus

domus et sedium illi contributarum, impero tibi in virtute sanctæ obedientiæ, et hoc mandatum isti chartæ consignatum relinquo, ut tali viro statim decedas, eique gubernacula Goani collegii et ejus appendicum nulla interposita mora in manus tradas, ipsum te illi subjiciens et in omnibus obtemperans.

Sin quis e Lusitania veniens missum ad hoc se diceret, nec tamen ostenderet litteras rite subscriptas a Patre nostro Ignatio, aut alio pro tempore Præposito Generali Societatis Jesu, hunc veto rectorem agnoscas, aut in eum præfecturam a me tibi creditam transferas. Si tamen is idoneus ad gubernandum videretur, et tu subsidio egeres, posses illi delegare partes tuas, et committere vicariam potestatem revocabilem ad nutum; salvo semper jure tuo ac dominio superiori, cui non minus ipse, dum vice tua præest cæteris, quam quivis aliorum tibi et illi parentium, subjectus sit.

Nam te, Magister Gaspar, plane volo, et pro potestate mihi tradita decerno, quoad aliud Generalis Societatis statuerit, unum isti Goano suprema post meam auctoritate collegio præesse, imperareque nostris, ut dixi, omnibus per has regiones degentibus, quibus universis mando in virtute sanctæ obedientiæ ut obtemperent tibi, Magistro Gaspari Barzæo, Goani collegii rectori: quo scilicet prævertantur incommoda quæ possent consequi, quæque alias magna cum perturbatione secuta meminimus.

Ac si quis huic meæ maturo consilio sancitæ, satis cunctis declaratæ voluntati refragaretur, vel eam eludere cavillando per arbitrarias interpretationes attentaret, aut se ipse rectorem ferens, aut tibi debitum obsequium pernegans, eum ego tibi in virtute sanctæ obedientiæ mando ut e Societate ejicias, quantisvis alioqui egregiis dotibus fuerit præditus: potioribus enim caret, quæ sunt humilitas et obedientia.

Quod dixi de Vicario tibi substituendo, eo commemoravi quo liberius posses excurrere Goa interdum, ad visenda Cocini, Bazaini, et Colani collegia, stationemque Commorinensem. Experientia quippe me docuit ex hujusmodi collegiorum sediumque lustrationibus et magnum nostrorum in iis degentium fructum, et ingens ad Dei Domini nostri obsequium ac gloriam operæ pretium existere. Quare id factites censeo; sed tali modo ac tempore, ut collegium Goanum quam minimum possit capere ex tua absentia detrimentum.

Hæc quæ hactenus hic statui, ne quis forte nostrum leviora arbitratus, negligere aut minoris quam opus est audeat ducere, iterum edico tibi ac pro potestate impero, ut si quis Sociorum obedire tibi perinde ac mihi detrectaverit, eum confestim e Societate amandes; nec te habeat sollicitum quasi forte aliquem istorum propter insignia eloquentiæ, doctrinæ, facultatisve alterius decora, desideratura deinde Societas videatur. Nam istiusmodi refractarii plus longe damni quam emolumenti nostro semper inferent Ordini:

cui proinde qui consulunt merito lucra parva negligant gravissimis emenda detrimentis; cum quibus recte compensetur admiratio, vel etiam offensio ac murmur populi, ejectionem operariorum, quorum honesta species labes occultas celat, facile improbaturi. Quare nihil cunctans aut dubitans abscinde audacter a nostro corpore membra noxia, rumorum timorumque, me auctore, securus inanium.

Quo de genere illud quoque pro imperio veto, ne quemquam eorum quos ego ante meum in Sinas discessum e Societate dimisero, tu iterum in eam ulla unquam ratione admittas; quin edices per cuncta tuæ ditioni subjecta loca, ne quisquam uspiam nostrorum quemquam istorum tecto vel hospitio Societatis excipiat.

Vectigalia collegii jam fixa, dona extraordinaria quæ interdum rex largitur, jura omnia et nomina hujus familiæ Goanæ, quæcumque illi competunt liberali concessione domini nostri regis, aut vices ejus Majestatis hic gerentium prætorum, cuncta exiges ac repetes, cura in id et attentione præcipua impensa, vel per te ipsum, vel per quos ei muneri visos idoneos præfeceris; dabisque operam sedulam ut et plene integreque colligantur, et fideliter expendantur in alimenta et cæteros usus necessarios Patrum ac Fratrum Societatis hanc domum incolentium, et ex hac alio missorum: quales nisi juventur inde necessariis corpori subsidiis, servire negotio animarum, cujus gratia mittuntur, prout opus est nequeunt.

Ex annuis reditibus domus seponatur quantum abundat inevitabilibus expensis, in æris alieni dissolutionem; cætera insumantur in victum et cæteros usus, sed mere necessarios, nostrorum tum in hoc collegio, tum in sedibus ei annexis degentium, ac præterea puerorum ab indigenis in nostram disciplinam traditorum, et orphanorum hujus terræ.

Datum in hoc collegio *Sanctæ Fidei,* VII. Idus Aprilis Anno MDLII.

Subscripsi in testimonium veritatis.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XII.

Eidem.

Ne Gaspar triennio toto Goam deserat, nisi electus a Præposito Generali adveniat. Huic autem et Gaspar ipse et cæteri omnes subsint; qui renuerint, e Societate dimittantur.

POST superius scripta, hæc peculiariter commendanda visa sunt.

Ego tibi, Magister Gaspar, rector collegii *Sanctæ Fidei* Goani, mando in virtute sanctæ obe-

dientiæ, ne ex hac insula Goana toto triennio exeas, nisi intra hoc spatium trium annorum adveniat huc aliquis e nostris rite missus a Generali Præposito universæ Societatis Jesu, cum litteris id testantibus, ut ejusdem hujus collegii regimen capessat. Talis enim simul adfuerit, et tu ei gubernationem hujus collegii resignaveris, solutus eris hoc meo præcepto, et novo rectore, cui tu ut alii suberis, mittente, poteris libere proficisci quo is cumque jusserit.

Iterum commendo et mando in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, qui per hos Indiarum tractus me superiorem agnoscunt, ut iidem obtemperent tibi, Magister Gaspar, et tuæ gubernationi subsint. Ac si quis obedire tibi renuerit, primum ostendes illi has meas litteras, quibus jubeo ut quotquot mihi subjecti sunt, tibi pariter, ut mihi si præsens adessem, se morigeros et dicto audientes exhibeant; tum si in contumacia perstiterit, eum e Societate dimissum res sibi habere jubebis suas.

Item commendo et mando in virtute sanctæ obedientiæ omnibus et singulis Societatis Jesu meæ potestati commissis, ut si quis hic comparuerit a nostro Patre Ignatio aut alio Præposito Generali Societatis Jesu rector hujus collegii delectus, et rite institutus, quod et litteris ab eo subscriptis constet, hunc statim universi superiorem legitimum agnoscant, eique se subjiciant et obtemperent pariter ac præsenti mihi. Sin qui id facere detrectaverit, rogo et commendo eidem

rectori, nisi aliud ei Præpositus Generalis mandaverit, ut istos inobedientes e Societate dimittat.

Ut certo constet de mea in his decernendis plena et fixa voluntate, huic chartæ manu propria subscripsi.

Goæ, VII. Idus Aprilis MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XIII.

Eidem.

De usu Privilegiorum.

Cum certas facultates et privilegia Summi Pontifices Societati Jesu per Præpositos Generales communicanda concesserint, et Pater noster Ignatius diplomatum, quibus hæ concessiones exprimuntur, exemplis ad me missis, etiam potestatem mihi tribuerit eos e nostris, quos recte usuros ista gratia censuerim, ejusmodi pontificiorum munerum participatione per me aut alios aspergendi: ego existimans tum te, Magister Gaspar, rector hujus collegii Goani, tum eos qui tibi subsunt, harum attributione facultatum plenius instruendos ad tanto uberiorem reportandum proventum animarum, quarum in cultura versa-

mini, idcirco et eas ipsi tibi plene communico, et confisus tua satis perspecta prudentia, committo insuper eidem tibi vices meas, ut omnia ista Pontificiis Bulla signatis litteris indulta nobis privilegia omnis generis, dispensare ac impertiri possis quibus, et quatenus ad Dei Domini nostri majus obsequium expedire judicaveris.

Goæ, VII. Aprilis MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XIV.

P. Gaspari Barzæo, Soc. Jesu.

Methodus humilitatis a concionatore exercendæ.

PETIS a me, mi Gaspar, ut quoniam multus esse soleo in commendanda humilitate, et tu ipse intelligis quanti ea virtus pretii ac momenti sit, etiam ejus exercendæ quamdam methodum suggerere ne graver. Equidem libenter in eo argumento versor; ac quoniam tua causa volo plurimum, et tibi audiens circumstrepere plausus concionum, interdum (ut est amor sollicite anxius) vereor, ne dum te sentis placere

omnibus, incipias ipse tibi non displicere, adscribam hic quæ in mentem veniunt, idonea, ni fallor, ut velut amuleti vice tibi sint, ad prævertendam vim noxiam blandi veneni arrogantiæ per auram popularem, inter gratulationes, insidiose ad incautos adrepentis.

Ante omnia toto animo incumbe ad captandam ex ipso successu tuarum ad populum orationum occasionem magis semper ac magis tui deprimendi, clare intelligendo ac profitendo nihil in eo tuum esse, totam laudem ad Deum, tuæ qualiscumque facultatis et profectus ex ea nati te audientium, unicum Auctorem, fidelissime referendo. Quin etiam agnoscas oportet debere te populo fructum istum universum. Potes enim ac debes credere Deum Dominum nostrum motum devotione bonæ istius plebis sitienter inhiantis addiscendis iis quæ ad Religionem et salutem animarum pertinent, donare tibi, quamquam ea gratia non digno, artem et vires docendi eos prout opus est, et ex ipsorum voto promovendi: ergo te nihil aliud nisi ministrum esse alieni beneficii tibi nulla ex parte imputabilis, quippe cum et tua intelligendi lux et agendi vigor, et ipsa docilitas permotioque auditorum, Dei utique sint munera, non tuis sed Ecclesiæ ac pii populi meritis concessa. Atque hinc causam debes ducere populi amandi, te illi ferens obstrictissimum, quod ejus respectu tibi Dominus doctrinam et eloquentiam communicet: quas si tibi usurpes et in bonis tuis numeres, ingratus

injustusque sis, a quo illæ ac quorum gratia tribuantur illiberaliter ignorans.

Reputare præterea te convenit, si quid operæ pretii, quod lucro imputari queat, ex tuis laboribus existet, fructum esse precum ac suffragationis Sociorum, qui variis per orbem locis Deo militantes, Fratrum suorum alibi decertantium conatibus divinam opem implorant; et quia charitate ac demissione summa id faciunt, impetrant ut Deus Dominus noster nonnunquam uti dignetur opera filiorum Societatis ad suam ipsius gloriam salutemque animarum procurandam.

Hæc si persuasa menti tuæ intimo assensu teneas, næ tu nunquam titillaberis quantisvis acclamationibus ac laudibus applaudentium tuæ dictioni concionum; sed quo altius extolleris, eo demissius te deprimes, certissime intelligens istius dotis, tuo tibi periculo ad profectum aliorum creditæ, severissimam a te olim repetendam esse rationem; cujus in administratione nihil proprie tuum possis agnoscere, præter culpas plurimas imprudentiæ, negligentiæ, ingrati denique animi erga Deum qui largitus est, erga populum in cujus utilitatem est data, postremo adversus matrem tuam Societatem Jesu, cujus evictus precibus benignissimus Dominus aliquo tuos labores successu fortunat.

Juverit etiam fructum, quantuscumque provenit, comparare cum longe uberiori proventuro, si non interciperetur tuo vitio. Quare debes incumbere quam maxima poteris instantia ad exorandum

Deum, ut tuæ menti cœlestem lucem indulgeat, qua intime illustrante liquido videas quanta, per tuos defectus ac quotidianos lapsus, obstacula opponantur divinæ in te operanti bonitati, prohibitæ plane assequi quod optat imperfectione ac labe instrumenti quod adhibet, ideoque omittenti manifestare se clarius, et quæ ad suam gloriam salutemque mortalium magna tuo interventu destinaverat peragere.

Neque hos sensus jactare te verbis apud homines magis, quam Deo inspectori cordium exhibere penitus animo conceptos, velim. Erunt hi quasi stimuli salubriter excussuri gloriationem vanam, quibus compunctus collectusque in attentionem tui, adeo non dissolveris in supinam securitatem, ut potius instes ipse tibi et sollicite invigiles, circumspectans undique ne quid imprudens pecces, ne uspiam ruens impingas, ne vel publice agendo vel tractando privatim offendas apud populum; quem, ut dixi, grate ac reverenter intueri, tanquam causam indultæ tibi a Deo gratiæ, te semper æquum est.

Tibi porro in hisce versanti meditandis majorem in modum commendatum velim, ut quas Deus, pro sua benefica consuetudine illuminandi accedentes ad se, tuæ menti satagenti quæ illi placent intelligere notitias infuderit, scripto comprehendas ad memoriam: nam et sic altius imprimuntur animo, actu ipso et mora conscribendi defigente; et si forte, ut fere contingit, longa dies earum imagines hebetaverit aut pene aboleverit,

eæ relectione commentariorum, quibus præsenti experimento consignatæ sunt, rursus tanquam recentes admoventur sensibus animi, dum illarum archetypa quodammodo ex ectypis reparantur; et tunc quasi vena iterum reperta metalli unde hauseris, scrutans ibidem profundius novas opes erues, pro fundamento utens altioris structuræ, fastigio ipso prius detectorum.

Sic enim Dei communicare sese gestiens Sapientia, solo gratuitæ misericordiæ instinctu amat vigilantes ad se e luce in lucem, e crepusculis per adultiora lumina provehere ad plenum meridiem continenti augmento fulgorum. Quo in genere quia solet prolixius favere propriæ vilitatis depressiones meditando indagantibus, ne dubites quin perseverans longanimiter in isto sancto exercitio humilitatis, et notitiæ intimæ defectuum tuorum, magnis inde profectibus, non perfectionis modo propriæ, sed successuum etiam ingentium in procuratione salutis alienæ cumulandus sis, et usu experturus quod re ipsa verissimum non omnes intelligunt: in una demum sincera sui despicientia totam spem sitam esse veri et magni fructus ab evangelico præcone referendi. Fructus autem solidus et plenus non est, quem qui colligit perit sua pernicie aliis consulens.

Quocirca per ego te, quo Deum prosequeris, amorem, per quantum debes Patri nostro Ignatio et Jesu Societati universæ (scis autem quam multum utrique debeas), oro et adjuro semel, iterum, tertio, quanta summa contentione et efficacia

valeo, insiste continue hisce exercitiis depressionis tui. Si enim illa (quod absit) intermitteres, male metuerem (Deus omen avertat!) ne animæ tuæ jacturam patereris; prout profecto non negaveris et fando auditos, et oculis perspectos a te multos, qui, quod non essent in humilitate fundati, postquam aliis prædicaverant, reprobi facti sunt: quorum numerum ne augeas, etiam atque etiam moneo, cave. Atque horum infelicissima exempla nollem equidem semel cognita tuo ex animo effluerent.

Retractasis illa et revoca, otiose objiciens intimis mentis tuæ sensibus luctuosissima simulacra plurimorum, quorum ex ore perorantium e sacris pulpitis conciones, quam quæ tibi dant operam, densiores pependerunt; qui elegantius, disertius, admirabilius quam tu dixerunt; quorum persuasi orationibus plures multo quam quot unquam ad meliorem frugem te adhortante se receperint, idola colere et peccare desierunt; quibus postquam Deus instrumentis usus fuerat ad mortales quamplurimos e diaboli tyrannide ac vicinia tartari ad Christi regnum cœlique felicitatem transferendos, denique miserrimis contigit ad æternos inferorum ignes damnatione justissima detrudi, quoniam sibi arroganter attribuerunt gloriam quæ soli Deo debebatur, quoniam mundi faventis auram et inanes plausus avide captarunt, quoniam inflati humanis laudibus vana sui opinione tumuere; unde in superciliosum elati fastum cœli fulminibus in superbos intortis occurrerunt.

Colligant se in modestiam, justo constricti metu, qui hæc vident; circumspiciat se quisque, et acri attentione rationes ineat consiliorum ac votorum. Si recte calculos posuerit accepti ac redditi, non esse cur glorietur, abundare unde metuat et quare se deprimat, intelliget; nam in toto isto negotio quantiscumque gesto successibus procurationis salutis hominum, quid tandem est quod imputare jure nobis ad gratulationem et decus proprium possimus? nihil hic omnino nostrum, præter quos multos bene cœptis inteximus errores, infidelitates, imprudentias.

Hæc nostri peculii sunt; nam conversiones hominum opera sunt Dei suam gaudentis ostentare bonitatem eo mirabilius, quo instrumentis ea efficit ineptissimis, nos videlicet adhibens vilissimos et omni opprobrio dignissimos ministros ad suam manifestandam hominibus gloriam.

Vide ad extremum ne tibi unquam obrepat, ut tui comparatione cum aliis Sociis minus speciose operantibus, eos præ te contemnas quasi obscuros et ad magna inutiles. At tu potius certa tibi persuasione subjice ex illuvie ac tenebris vilia domi officia tractantium istorum splendores tuos nasci. Hos inquam Fratres tuos humiles Dei causa sordidis ministeriis intentos, ab eo cui devote serviunt, impetrare tibi vim ac facultatem quæ te clarum efficit: quibus ideo plus longe debeas, quam illi tibi.

Tali præoccupatus sensu intimo, nunquam hos despicies, sed penitus amabis ac veneraberis,

infra ipsos te deprimens magno tui animi profectu.

Tuus in Christo Frater.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XV.

PP. Collegii Goani.

De Superioribus in defectum Gasparis surrogandis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

REPUTANS mecum brevitatem nostræ vitæ, ac mortis cunctis hominibus certissimæ incertissimam unicuique diem et horam, ac metuens ne quam in turbationem incidat hæc domus, si eam necesse foret eligere sibi rectorem in locum morte subtracti Magistri Gasparis, priusquam Pater noster Præpositus Generalis rectorem huic collegio præfecisset, existimavi mearum esse partium prævertere, quoad possum, ante meum in Sinas discessum, incommoda quæ ex tali inopinato casu nasci possent, constituendo jam nunc aliquid certi, et designando personam quæ interim, dum a Roma a Præposito Societatis Generali consti-

tutum aliud innotuerit, tum hujus Familiæ, tum cæterarum Societatis stationum a Promontorio *Bonæ Spei* usque ad extremum Orientem, providentiam gerat, cuique ut superiori nostri omnes sacerdotes, clerici aut laici obedire in omnibus debeant.

Si ergo Patri Magistro Gaspari humanitus aliquid quale dixi contingeret, rector esto domus hujus Manuel de Morales. Ac si eo tempore hinc absit, accersatur statim, ut huc se conferens regiminis possessionem adeat, et jam tunc incipiant Patres et Fratres universi tam Goæ degentes quam alibi, ei obtemperare tanquam vero cunctorum et legitimo rectori. Quoad autem ille venerit, præsit vice rectoris Pater Paulus, qui Patri Manueli de Morales statim atque huc advenerit regimen resignet, et illi sicut reliqui omnes nostri deinceps ipse quoque subjectus sit.

Ac si vel antequam gubernationem capesseret, vel post eam initam, idem ille Manuel Morales morte subtraheretur, tunc rector esto Magister Melchior Nunnezius, quem pari jure cunctis præpositum jam nunc constituo et agnosci volo, si forte Deo placeret Patrem Gasparem Barzæum et Manuelem de Morales ad paradisi gaudia ex hac vita transferre, antequam Pater noster Præpositus Generalis Societatis Jesu rectorem huic collegio præfecisset.

Hæc porro ita putavi decernenda, tum ut aliis obviam eatur malis quæ inde oriri pronum est, tum ut vitetur necessitas congregandi unum in

cœtum Patres omnes, qui per Indias variis et valde inter se dissitis in locis evangelicæ prædicationi vacant, quos ab istis stationibus et ministeriis quæ in iis exercent, non puto posse avocari sine gravi animarum quas curant incommodo, et pari detrimento divini obsequii.

His de causis, in virtute sanctæ obedientiæ mando et impero Patribus Societatis Jesu per Indias degentibus, ut exequantur quod hac charta præscriptum est; ac quoniam ita ex animi mei vera sententia post maturam deliberationem, ad majorem gloriam et obsequium Dei Domini nostri, statuo et decerno, ut nemo qui hanc chartam viderit dubitare de mea voluntate possit, ei subscripsi manu propria, hac die VII. Idus April. MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XVI.

P. Simoni Roderico.

De sua in Sinas, et aliorum in Japoniam profectione. Indiæ operarios laudat. Quantus collegio Goano rector necessarius; quales Indiæ atque Japoniæ operarii. Ignatius, ut sibi probatos mittat, per regem stimulandus. Simonis ejusque litterarum desiderium.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

Ex Japonia in Indiam reversus, de Japonicis rebus ad te perscripsi Cocino. Nunc illud te scire volo, me post octo dies in Sinas esse profecturum. Tres omnino ducam e Societate, sacerdotes duos, adjutorem unum. Imus magna cum fiducia divinæ benignitatis, ac spe rei christianæ bene gerendæ. De nostro itinere faciam te certiorem ubi primum Malacam appulero.

In Japoniam socii duo hoc anno Amangucium ad P. Cosmum Turrianum mittuntur, Japonici sermonis addiscendi gratia; ut scilicet ubi istinc Patres magnæ virtutis atque usus Goam venerint, in Japoniam ituri paratos habeant comites e Societate Japonicæ linguæ peritos, qui scienter ac fideliter christianæ religionis mysteria, et cætera quæ ab illis acceperint, enuntient apud Japones. Hoc nimirum magno subsidio erit Patribus Japoniæ academias aggressuris, ut illis populis suave Christi jugum imponant.

Est cur Christo Domino nostro gratuleris complures hic esse e Societate, tum Patres tum Fratres, qui concionando, confessionibus audiendis, discordiis sedandis, aliisque christianæ pietatis officiis rem christianam non mediocriter juverint, ac juvent in dies magis: qua quidem ego ex re incredibilem cepi animo voluptatem.

Goani collegii rectorem P. Gasparem constitui, virum cui propter summam submissionem atque

obedientiam tribuo plurimum. Hic egregia est concionandi facultate præditus, ut quoties dicit ad populum (dicit autem sæpius,) fletu ac gemitu templum compleatur. Deo bonorum omnium largitori habenda est gratia.

Frater is, qui has tibi litteras reddet, istuc venit, ut coram ex eo cognoscas quantopere non solum Japonia et regnum Sinarum (si Deo adjuvante aditus, ut spero, Evangelio patuerit,) verum etiam India ipsa Patres e Societate requirat, viros, inquam, magno rerum usu, præstanti virtute ac fide, robore autem vel animi vel corporis singulari. Tales præcipue oportet esse, qui in Japoniam, Sinas, Molucum, Armuziam destinantur.

Qui hæc in loca venturi sunt ut animorum saluti consulant, duabus hisce rebus carere non debent: primum, ut sint laboribus assueti, in quibus ut quisque maxime spectatus erit, ita plurimum et sibi et aliis proderit; deinde, ut satis litteris instructi ad sermones habendos, ad audiendas confessiones, ad infinitas bonziorum, tum Japonum, tum Sinarum quæstiones profligandas. Nam sacerdotes qui istic inutiles sunt, hic minime sunt necessarii. Ob eam causam ex usu esse statui hunc ad te mittere, qui hisce de rebus tecum ageret, et de tua sententia idoneos viros deligeret, priusquam Romam ad Patrem nostrum Ignatium pergeret.

Idem enim ad eum allegatur: primum, ut expertum et idoneum aliquem ac spectatum homi-

nem e Societate, eumdemque familiarem suum et nostri Instituti peritum, imprimis mittat Goani hujus collegii rectorem, cui Socii omnes qui in Oriente versantur obtemperent, quique leges et constitutiones Societatis nostramque vivendi rationem proponat atque explicet cæteris; deinde, ut magni usus Patres, etsi non multarum litterarum nec magnæ concionandi facultatis, in Indiam submittat, qui in Japonia ac regno Sinarum quibusvis bonziorum interrogationibus respondere ac satisfacere haud ægre possint.

Esset utique e re christiana insequenti anno ab illo mitti, cum hujus domicilii rectore, quatuor aut quinque sacerdotes e Societate satis expertos, et quamquam minus concionibus idoneos, tamen laboribus perferendis accommodatos, cujusmodi homines in Italia et Hispania esse multos arbitror, qui jam bonarum artium studiis absolutis, saluti consulant aliorum. Tales omnino viros hæc loca desiderant; nam qui ex gymnasiorum umbraculis evocati, necdum hujus vitæ laboribus exerciti satisve probati sunt, si huc sese conferant, facile fiet ut nec aliis prosint, et ipsi pereant. Neque enim ærumnarum, cujusmodi in Japonia subeundæ sunt, usum ullum habent.

Quippe in Japonia (ut dixi) subeunda incommoda frigorum maxima, ubi ad vim frigoris arcendam tam paucæ facultates commoditatesque suppetunt, ut ne cubile quidem sit ad dormiendum. Accedunt alimentorum summæ difficultates, crebræ et graves bonziorum ac populi

insectationes, multæ peccandi illecebræ, maxima ludibria et irrisiones plebis; et quod omnium statuo gravissimum, in Japonicis academiis, ubi propter locorum intervalla rerum ad Sacrum necessariarum facultas esse nequit, cœlestis panis, qui *cor hominis confirmat*, unico in malis solatio carendum est. Hoc enimvero illis locis acerbissimum accidit. Nam Amangucii, ubi Societas domicilium habet, facultas est rei divinæ faciendæ: in academiis quo Amangucianis Patribus eundum est, non item. Neque enim sacra Missæ supellex per itinera latronibus infesta tuto perferri potest. Quapropter, si qui istinc ad Japonicam expeditionem venerint parum ad tantam ærumnarum molem sustinendam virtutibus instructi, male metuo ne ad certum interitum ruant.

Equidem ad summa illorum locorum frigora et incommoda toleranda Belgas aut Germanos e Societate sacerdotes perappositos censeo, qui multorum jam annorum usum sint consecuti. Sane istiusmodi ad Japoniam et Sinas accommodati videntur præter cæteros. Ego vero non dubito quin Deus, quæ res et suæ gloriæ et animorum saluti plurimum conducit, ejus efficiendæ facultatem tibi sit daturus, quo viros submittas his locis quam maxime appositos. Oro te etiam atque etiam, ut viros laboribus atque periculis exercitos deligas, qui, Deo adjuvante, de illiusmodi incommodis et vexationibus victoriam referant. Nam quorum virtus in ærumnis et insectationibus spectata non est, his nihil magnum recte committitur.

Quæso te, si videtur, age cum rege, ut postulet per litteras a Patre nostro Ignatio expertos aliquot Patres in Japonicam expeditionem, et virum excellenti virtute ac prudentia hujus collegii et Societatis in India rectorem futurum. Societas enim his locis mirandum in modum dispersa ac dissipata est, quippe quæ in Persidem, in Cambaiam, Malavares, Oram Piscariam, Malacam, Molucas, Mauricas, Japoniasque insulas propagatur, quæ loca ab urbe Goa absunt longissime. Quamobrem Goanus ille Societatis rector, ut Patrum Fratrumque in tam remotis disjunctisque locis versantium commodis serviat, saluti prospiciat, incommodis medeatur, magno scilicet rerum usu et egregia virtute polleat necesse est.

Mihi quidem commodissimum videtur hunc qui meam tibi epistolam reddet, tuas et regis litteras super hoc ipso negotio ad Patrem Ignatium perferre cum meis, siquidem ego quoque ad eum eadem de re scripsi.

Ejusmodi homines sine magno incommodo ex Societatis sedibus eximi posse arbitror, neque enim Patribus a concionandi munere abhorrentibus magnopere indigent. Nam quos hic in nostrum numerum adscribimus, ad negotia tantum et officia domestica usui esse possunt; vix enim quisquam est ita imbutus litteris, ut ad sacerdotium aptus videatur. Hoc eo dico ut intelligas istinc quotannis submittendos esse sacerdotes.

O mi Simon! frater charissime, ecquid vides quantam tandem rem moliamur? Si genti tam

ingeniosæ ac docili Evangelii lucem Deus afferri voluerit, tu quoque ad Sinas explendæ animorum sitis gratia utique venias, censeo. Ego si illud Deo duce penetravero, de gentis moribus ac spe serendi Evangelii ad te perscribam.

Tantum me tenet desiderium tui, antequam moriar, revisendi, ut semper mecum cogitem quemadmodum hujus optati compos fieri queam; et fiam fortassis, si aditus patebit in Sinas. Interea te vehementer etiam atque etiam rogo, ut Patres quales descripsi, proximo anno ad nos mittas; vix enim credas quam sint necessarii, sed credas experto velim. Patri Gaspari mandavi, ut de rebus quæ hic geruntur, animorumque emolumento ad vos scribat diligenter.

Et quoniam Malaca pluribus ad te scribere cogito, hoc unum adjiciam, tuam a me epistolam bene longam exspectari de tua in urbem Romam profectione, de rebus in sancto illo Conventu actis atque decretis. Nihil enim est quod in hac vita scire magis expetam, quando ego (quæ meorum peccatorum pœna est) interesse non potui. Quod si tibi (quod valde vereor) per occupationes omnia perscribere non licuerit, quæso te ut id negotii des tuo cuipiam itineris comiti ac socio, id vero mihi erit gratissimum.

Illud etiam abs te curari velim, ut rector collegii Conimbricensis nominatim me de omnium Patrum Fratrumque quibus præest, virtutibus, litteris, propensionibus, per litteras faciat certiorem. Et quoniam vereor ut e summis occupa-

tionibus tantum otii eripere possit, quantum ea res postulat, oro ut id ipsum ab alio quopiam domesticarum rerum satis perito fieri jubeat, ne ego Fratrum meorum incensa patiendi pro Christo studia penitus ignorem.

Meminisse enim aliqua ratione eos oportet mei, qui ipsorum memor superiore anno peragrarim Japoniam, nunc vero Sinas petam, ut eis viam ad illarum gentium conversionem muniam: quo videlicet latissimo illo campo patefacto, sit ubi egregia eorumdem pietas, et divini amoris stimulis incitata virtus excurrat.

Deus nos in Beatorum cœtu, et (si ex ejus usu futurum est) in hac quoque vita conjunctos et consociatos velit.

Dat. Idibus Aprilis MDLII. Goæ.

Fratrem cui hanc epistolam ad te dedi, quæso te, Romam mitte quamprimum, ut insequenti anno cum multis Patribus ad nos revertatur. Nam si christianæ religioni aditus aperietur in Sinas, et vita mihi suppeditabit, post triennium aut quadriennium in Indiam redire cogito, ut Patribus aliquot Fratribusque assumptis sociis tam gloriosi laboris, in illa me referam loca, ut apud Japones aut Sinas ætatem exigam, ac morte defungar.

EPISTOLA XVII.

Patri meo in Christo P. Ignatio.

In Sinas plenus spei profecturus Indiæ præfecturam Barzæo committit. Egregiæ dotes in Japoniam mittendis necessariæ. Goanus rector ab Ignatio deligendus; diplomata Pontificia rite obsignata mittenda; Sociorum in Indiam mittendorum probatio. Accurata de omnibus Societatis rebus narratio magnum Xaverio solatium.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

JANUARIO mense proximo scripsi ad te de meo ex Japonia in Indiam reditu, de multitudine ethnicorum ad Christum aggregata, de Cosmi Turriani et Joannis Ferdinandi industria, qui a me Amangucii relicti christianos jam factos, quique quotidie fiunt, excolunt diligenter. Propediem duo e Societate Amangucium proficiscentur, qui partim Turrianum sua opera juvent, partim etiam Japonica lingua erudiantur; ut cum spectata virtute Patres istinc advenerint in Japonicas academias ituri, paratos habeant fideles interpretes quibus utantur. Amangucii jam Dei benignitate Societatis domicilium est constitutum tam procul ab urbe Roma: abest quippe a Goa

amplius quadragies centena millia passuum et ducenta; ab urbe Roma leucarum amplius sex millia.

Post sextum diem, Deo approbante, tres e Societate, in his duo Sacerdotes, ad Sinarum regnum profecturi sumus.

Id regnum e regione Japoniæ est longe amplissimum, acribus ingeniis, hominibusque eruditis vel maxime frequentatum. Nam quantum ego cognoscere potui, florent apud eos studia doctrinarum; atque ut quisque doctissimus est, ita cæteris et dignitate excellit et potestate. Religiones, quibus Japones utuntur, satis constat petitas ab Sinis.

Imus spei fiduciæquæ divinæ pleni, confidimusque Christi nomen in Sinas aliquando penetraturum. Quæso te, Deum pro his qui in Japonia sunt, quique in Sinas contendunt, precari ne desinas. Ubi in Sinas Deo favente pervenerimus, de nostro adventu deque spe propagandæ religionis ad te perscribam pluribus.

Collegii Goani rectorem Gasparem Belgam constitui, virum spectatæ virtutis, et cœlestibus donis cumulatum, eumdemque concionatorem egregium, et civitati universæ ac domesticis unice charum. Omnes qui in his locis versantur, tum Patres tum Fratres, ei parere jussi. Itaque sane lætus, et domesticarum rerum sollicitudine vacuus proficiscor in Sinas. Si forte Deus me absente Gasparem evocarit e vita, chirographum apud illum reliqui obsignatum, quo rector ei a me

substitutus declaretur. Id me ut facerem longinquitas locorum admonuit.

Visum etiam est e re christiana ante meum in Sinas discessum præcipere, ut proximo anno certus homo e Societate hinc in Lusitaniam, atque inde Romam cum litteris mitteretur; ex quo coram cognosceretis quantopere viros hujus vitæ laboribus et periculis exercitos ac probatos hæc loca desiderent. Nam ejusmodi qui sunt plurimum in amplificatione divini cultus proficiunt; cæteri, quamvis docti homines, si parum in ærumnis sint vexationibusque spectati, admodum parum.

Pro usu quem Japoniæ habeo, cum omnibus Japonum saluti consulturis, tum vero nostris ad Japonicas academias ituris, duo plane sunt necessaria: primum, magnus rerum usus, ex ærumnis ac periculis et interiore sui cognitione comparatus; nam in Japonia majora frigorum, inopiæ, cæterarumque rerum incommoda subituri sunt, quam usquam in Europa. Huc accedent insectationes et ludibria indigenarum qui peregrinos vix homines ducunt, maxime vero bonziorum, qui divinæ legis præcones acerrime insectantur. Quamquam in hisce ipsis incommodis mirifice gustatur Deus.

In Japonicas academias sacra Missæ supellex non videtur propter longinquitatem et latrocinia itinerum tuto posse perferri. Itaque in tot ærumnis atque vexationibus, cum et sacrificii solatium et Eucharistiæ præsidium desit, satis

apparet quanta tandem virtute ac robore animi septos esse oporteat eos, quibus Japonica gymnasia destinentur.

Deinde ab ingenio doctrinaque instructos esse convenit, ut Japonum interrogationibus facile appositeque respondeant. Plurimum autem refert eos esse philosophiæ, maxime vero dialecticæ peritos, ut possint Japonum pertinaciam coarguere ac revincere: nimirum ut ostendant eos sibi non constare, sed dicere plane contraria. Eosdem non ignaros esse velim astrologiæ; Japones enim mirum in modum cognoscere avent de lunæ ac solis defectionibus, cur luna toties crescat totiesque decrescat? item illa: unde imbres, nix, grando nascantur? qui cometæ, tonitrua, fulgura, et alia ejusmodi existant? Incredibile est talium rerum explicatio quantum valeat ad conciliandas Japonum voluntates.

Hæc de Japonicis rebus ac moribus scire te volui, quoniam ad delectum eorum, qui mittendi sunt, caput est nosse mores ejus loci quo mittantur.

Sæpenumero mihi in mentem venit ad Japonicum negotium Belgas aut Germanos Patres perappositos judicare, quippe frigoris, laborisque patientes; cum præsertim in Italia et Hispania, quod vernaculam linguam ignorent, nullum in concionando usum habeant. Etsi enim, ut agere possint cum Sociis qui in Japonia sunt, Hispanici aut Lusitanici sermonis rudes esse non debent, tamen ejusmodi linguam Indico et Japonico

itinere, in quo biennium minimum ponitur, satis addiscent.

Unum est quod sane scire te velim, primarium aliquem Societatis hic desiderari, Instituti nostri peritum imprimis ac studiosum, cui scilicet tecum vetus consuetudo intercesserit. Tali, inquam, viro Goanum hoc domicilium et tot locis sparsa Societas carere non potest, siquidem ad Instituti nostri leges et constitutiones conformanda est. Nec vero necesse est eum esse concionatorem: tametsi concionandi facultate careat, usui tamen nobis erit et emolumento.

Oro te atque obsecro per Jesum, ut aliquem abs te ipso delectum hujus collegii rectorem constituas; ut enim is non abundet doctrinarum scientia, tamen quisquis erit tuo judicio delectus, profecto talis erit qualem hæc domus requirit. Patres quippe ac Fratres, qui hisce in locis versantur, mirandum in modum expetunt ab urbe moderatorem ejusmodi, qui tecum diu ac multum fuerit. Is si anniversarias octonum dierum Indulgentias, quibus populus certis diebus festis ad confessionis et Eucharistiæ sacramenta invitetur, istinc secum attulerit, rem populo pergratam fecerit divinoque cultui peropportunam.

Vix dici potest Jubilæum abs te missum quam multis saluti fuerit. Ejusmodi autem Indulgentias pontificio diplomate comprehensas, auctoritate obsignatas cum signis pendentibus mitti ad nos velim; neque enim hic desunt qui hujusmodi pontificis beneficia, si quid horum desit,

in dubium vocent. Nam et Jubilæum, quod misisti, calumniari conati sunt quidam, negantes testatum esse et pontificia auctoritate firmatum, quod usitatis signis careret; attamen, Deo approbante, vim et auctoritatem obtinuit suam.

E re divina est sacerdotes e Societate huc venturos diligenter prius probari, spectatis enim sacerdotibus hic opus est. Patrem Simonem, et, si forte is absit, rectorem collegii Conimbricensis per litteras commonefeci ne Patres, qui nulli in Lusitania usui sunt, ad nos mittantur; eosdem enim nihilo fore utiliores in India. Magni autem referret edici abs te ne quisquam omnino Societatis sacerdos Indiam peteret, priusquam peregrinorum ritu Romam profectus a Præposito Generali probatus esset.

Per mihi per inquam gratum erit, si domestico alicui præcipies, ut me de omnibus Patribus qui nobiscum Parisiis Romam venerunt, deque cæteris faciat certiorem; itemque de incrementis Societatis, de collegiorum, ac domorum, professorumque Patrum numero; de viris etiam insignibus in Societatem adscriptis; deque hominibus doctrina atque eruditione præstantibus, quibus Societas aucta est, ad nos diligenter copioseque perscribat; ejusmodi enim epistola ingentes labores, quos terra marique tum apud Japones tum apud Sinas perferimus, magno utique solatio levabit.

Deus nos in cœlestium felicitate, et (si ex ejus gloria futurum est) in hac vita conjungat. Id

enim si mihi imperetur, obedientiæ vi effici nullo negotio potest.

Omnes mihi liquido affirmant e Sinarum regno Hierosolymam adiri posse. Si ita esse compereró, quot inde leucis distet, quot mensium iter sit, faciam ut scias.

Datæ V. Idus Aprilis. Anno MDLII. Goa.

Tuus minimus filius, longissimeque exulans,

FRANCISCUS XAVERIUS.

EPISTOLA XVIII.

P. Simoni Roderico.

Japones in Europam proficiscentes commendat. Monendus Cæsar ne classes Hispanæ Japoniam cogitent.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

MATTHÆUS et Bernardus Japones, qui me inde usque ex Japonia in Indiam sunt prosecuti, veniunt istuc, eo consilio ut in Lusitaniam atque Italiam profecti, christianæ religionis amplitudinem visant ac perspiciant, potissimum Romæ; inde domum reversi, comperta ab se et

visa renuntient civibus. Quare sic eos tibi commendo, ut majore studio neminem commendare possim. Da operam ut læti ac voti compotes revertantur; nam illorum testificatio magnam nobis ac nomini christiano conciliatura est auctoritatem.

Japones quippe cæteras nationes contemnunt præ se; atque hæc fuit causa cur nulla cum gente commercio jungerentur, quoad eo Lusitani octo aut novem abhinc annis appulerunt. Has insulas Hispani *Argentarias* vocant. Ac mihi Lusitani quidam in Japonia confirmarunt Hispanos ex Nova-Hispania Molucum petentes prætervehi solitos Japoniam; si qua autem eorum navis eo appellere conetur, in itinere interire; ejus rei hanc a Japonibus afferri causam, quod in Japonico mari ab ea parte, qua ex Nova-Hispania in Japoniam navigatur, permultæ syrtes occurrant, ubi naves inhærentes depereant.

Hoc eo scribo ut regis ac reginæ litteris Carolum Cæsarem, et Hispaniæ regem admonendos cures, ne ex Nova-Hispania classes ad occupandas Argentarias insulas mittat, omnes enim naves (ut nunc quidem est) ad unam perituras. Etenim ut incolumes ad insulas perveniant, si earum potiri conentur armis, negotium fore cum gente non minus cupida quam bellicosa, quæ quamvis magnam hostium classem per vim captura videatur. Huc accedere, quod terra adeo sterilis est ac vasta, ut peregrinæ copiæ fame debellari nullo negotio possint. Tantas porro circum has

insulas existere tempestates, ut Hispanis navibus, nisi portum aliquem habeant amicorum quo sese recipiant, certum exitium impendeat.

Iterum dico adeo avidos armorum esse Japones, ut studio auferendi arma (quantum ex eorum ingeniis ac moribus conjicere licet,) Hispanos contrucidaturi sint ad unum. Hæc ego regi jam pridem scripsi; sed fortasse occupationibus factum est ut tota res ex animo ejus effluxerit. Verum ut hac religione animum liberem meum, id regi in memoriam redigas velim; sane enim miserabile est audire multas Novæ-Hispaniæ classes, dum Argentarias insulas peterent, in cursu periisse. Nam præter Japoniæ insulas in illa Orientis parte nullæ exstant ubi sint argenti fodinæ.

Iterum tibi mando ut hosce Japones sic accipias, ut de templis, academiis, cæterisque rebus nostratibus multa habeant admirabilia, quæ deinde popularibus commemorent suis. Equidem confido fore ut christianorum opes atque amplitudinem obstupescant. Bernardo itemque Matthæo in Japonia sum usus plurimum. Homines sunt tenui quidem re sed magna fide, qui contracta mecum familiaritate, revertentem me in Indiam ex Japonia ea mente sunt prosecuti, ut in Lusitaniam ac Romam pergerent. Nam Japones nobili loco nati alienas terras peragrandi studio non tenentur; quamquam neophyti nonnulli viri honesti Hierosolymam cogitant, ut Christi Domini incunabula ac patibulum invisant,

Matthæus et Bernardus imprimis; qui tamen, perlustratis rebus Romanis, utrum Hierosolymam accessuri sint nescio.

Equidem optabam par bonziorum litteratorum in Lusitaniam mittere, ut Japonicorum ingeniorum (nihil enim illis acutius aut prudentius,) specimen caperes; verum illi, utpote et nobiles nec egentes, adduci non potuerunt ut vel ad tempus cederent patria. Alios præterea neophytos mecum abducere sum conatus, qui maritimi itineris, tam longinqui præsertim, difficultatibus deterriti ab eo consilio sunt.

Hos igitur (Matthæum dico et Bernardum) Romam ita mittas velim, ut deinde Patribus aliquot comitati in Japoniam revertantur; fidemque faciant popularibus suis, quantum tandem intersit inter christianorum opes et Japonum.

Deus faxit, si e divino cultu est, ut nos apud Sinas aliquando revisamus, sin minus, utique in cœlesti patria, ubi longe majore cum voluptate intermissos tuæ suavissimæ consuetudinis exigam fructus.

V. Idus Aprilis Anno MDLII. Goa.

EPISTOLA XIX.

Joanni III. Regi Lusitaniæ.

Litteræ Cocino missæ; constituta in Sinas profectio, et grata munificentiæ regiæ commemoratio. Enixe rogat ut in Orientem e Societate mittat complures, qua de re litteras ad P. Ignatium dare ne gravetur.

Hoc ipso anno e Japonia revertens, Cocini litteras ad tuam Majestatem navibus Lusitaniam petentibus dedi, quibus ostendebam quo loco res christiana esset, quam idonea et accommodata ad Christi religionem suscipiendam gens Japonica videretur.

His addebam Bungi regem tuarum regiarum virtutum perstudiosum esse, ab eoque amicitiæ obsidem egregiam ad te mitti loricam; e Societate duos propediem profecturos Amangucium Japoniæ urbem, ubi jam ecclesia et domicilium Societatis est constitutum; totidem spectata fide ac probitate jam dudum in neophytorum institutionem inibi incumbere.

Faxit Deus, ut tuæ præstantissimæ munificentiæ ope, ibi quoque christiana res amplificetur quam maxime!

Illud quoque adscribebam, mihi deliberatum esse contendere in Sinas, quod permagna osten-

datur spes propagandæ illis locis christianæ religionis.

Goa post quintum diem Malacam versus, qua iter est in Sinas, una cum Fratre Societatis, et Jacobo Pererio ad regem Sinarum legato proficiscar. Multa sane pretiosa regi munera afferimus, quæ Jacobus coemit partim regia pecunia, partim sua. Eximium item donum afferimus ejusmodi, quod haud scio an nemo rex regi unquam post hominum memoriam miserit, Evangelium, inquam, Jesu Christi; quod ille cujusmodi tandem sit si intellexerit, næ id omnibus suis opibus quamvis amplis longe anteponet. Spero fore ut Deus tam amplum regnum gentemque aliquando respiciat, hominibusque ad sui similitudinem conditis oculos aperiat ad cognitionem Effectoris sui, et Jesu Christi communis omnium Salvatoris.

Tres omnino e Societate simul cum Pererio in Sinas proficiscimur, eo quidem consilio ut Lusitanos captivos in libertatem vindicemus, Sinarum regem ad Lusitanorum perducamus amicitiam, bellum dæmonibus eorumque cultoribus inferamus.

Itaque regi primum, deinde cæteris cœlestis Regis nomine denuntiabimus ne diabolum posthac, sèd Deum hominum conditorem, et Jesum eorumdem vindicem ac Dominum colant. Audax inceptum videri potest, barbaros populos ac præpotentem regem adire ejus reprehendendi gratia, prædicandæque veritatis (quæ res ætate nostra

adeo sunt periculo plenæ apud ipsos etiam christianos principes ac reges, nedum apud barbaros). Verum illud ingentes nobis animos viresque addit, quod hanc mentem Deus injecit (mearum cogitationum scopus et finis), idemque nos bonæ spei ac fiduciæ implevit: adeo ut Dei benignitate freti, nihil de immensa ejus potestate, quæ infinitis partibus Sinarum regem aliosque orbis universos superat, dubitemus.

Proinde, cum hoc negotium totum in Dei manu sit ac potestate, nullus relinquitur timori aut dubitationi locus. Neque enim aliud quidquam timere debemus, nisi ne, cœlesti Numine offenso, intentata improbis supplicia incurramus. Quare projecta magis audacia videtur et confidentia eos legem ipsius velle prædicare, qui peccata sua et crimina clarissime vident, quam exteras adire gentes ad extraneos et præpotentes reges reprehendendos et ad veritatem informandos. Mihi vero maximam vel spem vel fiduciam illa affert cogitatio, ad tantum opus (quantum est barbaræ et superstitione ac vitiis excæcatæ nationi, in alio pæne orbe terrarum, Evangelii ac veritatis lumen offerre,) inertissimos nequissimosque homines, quales nos sumus, esse delectos a Deo. Itaque opus est ut his animis et confidentiæ, mihi a Deo pro sua benignitate concessis, parata respondeat voluntas sanctam ipsius legem manifestandi, siquidem id ei libuit Majestatis tuæ precibus et auxiliis efficere. Multa a Majestate tua, beneficii loco, iis petii qui operam hic regiis ne-

gotiis navant, quæ tua mihi largitas tribuit omnia. Pro his igitur tibi gratias et ago et habeo immortales.

Nunc christianorum omnium, vel Lusitanorum vel Indorum nomine, itemque ethnicorum, maxime vero Japonum ac Sinarum, abs te peto majorem in modum, ut pro tuo erga divinum cultum et animarum salutem studio singulari efficias, ut hoc ipso anno sacerdotes e Societate istinc veniant quamplurimi; idonei scilicet, et tum domi, tum foris magna cum virtutis ac pietatis laude in hominum salute versati, quales utique viros India desiderat. Nam vitæ communis imperiti ac rudes, quamvis docti ac litterati, nihil admodum his quidem locis proficiunt. Quare te, rex optime, pro tua eximia erga Deum et homines Dei imagines charitate, etiam atque etiam rogo, ut Romam ad Ignatium nostri Ordinis Parentem quam accuratissime scribas, ut sacerdotes aliquot ad multa perferenda corpore atque animo paratos, etsi parum ad concionandum idoneos, mittat in Indiam, propterea quod tales viros cum Indorum tum vero Japonum ac Sinarum expeditio requirat.

Hisce autem comitem adjungat hujusce sedis ac domicilii rectorem, hominem videlicet spectatum ac probatum, cui multum P. Ignatius confidat, et nostræ disciplinæ atque Instituti satis peritum; is etenim est hic pernecessarius.

Sic enim habeto istiusmodi demum sacerdotes Indis, Japoniæ ac Sinis magno emolumento

futuros; quippe cum hæc loca viros expetant ejusmodi, qui dimicationes et multas et graves sustinere possint. Itaque spectatæ virtutis esse oportet, eosdemque doctrinæ præsidiis satis instructos, ut acerrimorum ingeniorum (cujusmodi Japonum sunt atque Sinarum) quæstionibus satisfaciant. Quo magis horum locorum difficultates aperirem, placuit certum hominem hinc in Lusitaniam ad P. Simonem, et Romam ad P. Ignatium cum litteris ablegare.

Restat ut pro Christi Domini nostri gloria et salute animarum, ad P. Ignatium litteras dare ne graveris, quibus hominem quamvis currentem incites, ut quam diligentissime, quamprimum, et divinæ gloriæ consulat et religioni tuæ; atque illiusmodi viros minimum sex cum rectore, qualem effinxi, mittat ad nos. Ego vero confido eam rem et Deo honori et his nationibus saluti futuram. Tantum mihi de egregia tua benignitate polliceor, rex optime, ut plane persuasum habeam fore ut ad cætera singularia tua erga me beneficia hic quasi cumulus accedat.

IV. Id. Aprilis MDLII.

EPISTOLA XX.

P. Cypriano.

Severa inurbanæ intemperiei reprehensio, et gravis ad emendationem adhortatio: minimus fructus cum pace maximo cum offensione anteferendus. Eadem in Gonzalum iterata objurgatione, obtestatur ambos ut supplices petant a proepiscopo erratorum veniam; quippe illustribus demissæ humilitatis exemplis comparanda apud homines gratia. Præterita, damnata culpa, emendentur; futuris caute consulatur. Amantissima clausula.

VALDE male percepisti quæ tibi mandata Meliaporæ observanda præscripseram. Clare ostendis quam parum tibi adhæserit ex conversatione nostri Beati Patris Ignatii.

Plurimum improbo aggressum esse te litigiosis formulis et pragmaticorum ministerio forensi convenire proepiscopum; semper obsequeris naturæ isti tuæ vehementi.

Quidquid dextra ædificas, læva destruis. Sic certo habe incredibiliter offensum me his, quæ a te istic inurbane et inhumaniter acta comperio. Si proepiscopus aliter agit ac debeat, non utique tuis emendabitur reprehensionibus, præsertim imprudenter, ut a te factum est, oggestis. Tam longo

jam usu insuevisti nihil non obsequi voluntati tuæ propriæ, ut ubicumque moraris omnes offendas, speciminaque tecum agentibus manifesta passim edas intractabilis tuæ cujusdam et asperæ indolis. Faxit Deus ut horum imprudenter actorum seria te aliquando subeat pœnitentia!

Per ego te, quantum amas, Dominum Deum, oro obsecroque, duro ut isti tuo contumacique imperes animo; quæque hactenus peccasti, recte factis in posterum compenses; nec tibi aduleris, præfractiori naturæ imputans motus illos feros. Non ea culpa est indolis, sed indiligentiæ magnæ, neglectus damnabilis officiorum quæ te Deo, quæ te tuæ conscientiæ, quæ te proximis, obedientiæ, moderationis, charitatis debitorem constituunt.

Si minus hoc mihi jam affirmanti credis, at persuasissimum habe in momento mortis clarissime id te perspecturum. Etiam atque etiam rogo te, nomine nostri Beati Patris Ignatii, ut per paucos hos dies, quibus illa tibi hora ultima differtur, discas exerceasque æquanimitatem, mansuetudinem, patientiam, demissionem modestam. Sic habe: humilitate quidvis absolvitur.

Si non potes tantum efficere quantum cuperes, age quod ex æquo et bono potes. Vi atque impetu nihil perficitur in his Indiæ partibus; et quod longanimitate, obsequio, modestia, bonum haud dubie succederet, ab impotenter erumpentibus ira, jurgio, intemperiis, ortu in ipso corruptum extinguitur. Fructus sine offensione ac

tumultu proveniens, etiam si tantillus sit quantulum hæc brevissima lineola designet ————, præstabilior multo majorque est quam alius adeo in speciem largior, ut ei videatur exprimendo tota impendenda, quanta transversæ paginæ universum exæquet spatium, hujus formæ linea ——————————————————.

Multum vereor ut quidquam allegatorum hactenus a me sufficiat revocando ad frugem tibi. Illud tamen et scio, et scire te jubens certissime denuntio, fore omnino ut tempore tui ex hac vita transitus acriter horum a te perperam actorum conscientia pungaris.

Gonzalus Fernandez mihi videtur tui similis, acerbus, irritabilis, impatiens; uno ambo exemplo facti, pariterque soliti effrenium vestrorum affectuum intemperiis zeli ac religionis speciosum nomen obtendere. Magnifica nempe illa vestra oratio est: divinæ gloriæ detrimenta, salutis animarum ferre taciti obstacula non possumus. Quid tum? Resarcitisne an cumulatis damna ista strepitu ac procellis certaminum odiosissimorum? Iterum dico: quod humilitate ac modestia non impetraveritis a proepiscopo, nunquam minis et jurgio extorquebitis.

Per pietatem et obedientiam, quas et debere fatemini, et reddere velle non negatis Patri Ignatio, obtestor ambos vos, ut subito post hanc lectam epistolam adeatis proepiscopum, et positis uterque coram eo humi genibus, veniam supplices petatis eorum quæ parum ipsi grata fecistis

omnium, tum illi manum osculemini. Ac si me consolari plurimum cupitis, facite audiam ad pedum ejus usque oscula ambos ultro descendisse: ut tanto certiori pignore sanciatis pœnitentiam præteritorum futuræque sponsionem modestiæ, qua sancte ipsi pollicebimini nihil vos deinceps, quamdiu Meliaporæ morabimini, contra ejus voluntatem acturos.

Credite mihi, in hora mortis vestræ multum vos delectabit hoc fecisse. Fidite Deo Domino nostro; nec dubitate quin si vestra modestia nota fuerit omnibus hominibus, impetraturi facile sitis quidquid ad Dei obsequium et salutem animarum pertinens petieritis.

In hoc manifeste ambo vos et vestri amborum similes erratis, quod arbitramini auctoritatem apud omnes maximam solo Societatis Jesu nomine, tanquam hæreditario vobis jure tribuendam, antequam eam magnis et illustribus demississimæ humilitatis experimentis paraveritis.

Recordamini videlicet venerationis ingentis, qua summi pariter et infimi Patrem nostrum Ignatium prosequuntur, et æquum censetis pari vos a cunctis reverentia dignari, quantumvis virtutum earum quibus istam ille dignationem promeruit, nullum admodum specimen ediderits. Atqui oportuerat primum recte facta imitari Patris nostri, et illa æmulari charismata meliora, quæ Deum Dominum moverunt ad tantam ei concedendam apud omne genus hominum gratiam.

Vana vero ac stulta est confidentia, paucis aut nullis palam exhibitis virtutum illustrium exemplis, fructum istum obsequii favorisque popularis, qui sui depressionis infimæ merces sit, vobis religiosæ demissionis oblitis exspectare proventurum, et indignari nisi provenerit, populo ad nutus omnes vestros obnoxium se ac morigerum præbente.

Non me fugit disertos vos in his excusandis fore, ac mihi asseveraturos, si præsens adessem, judicaturum nihil a vobis in hoc quidem peccatum; quippe qui mero instincti Dei amore ac salutis animarum studio istam contentionem susceperitis. Atqui jam hinc vobis denuntio, et persuasissimum esse jubeo aquam vos apud me in quantumvis accurata culpæ istius purgatione perdituros. Sine ulla dubitatione sic habete: cadetis causa, me judice; quin addo, crimen vestrum mea gravi molestia cumulabitis, si factum quod probari nequit defendere conabimini. Sed vicissim fateor nihil mihi posse contingere gratius, quam si vos audiam ultro agnoscere damnareque culpam in hoc vestram.

Ac præterita quidem, quæ refingi nequeunt, pœnitentia prout licet emendentur; futuris omni cautione consulatur. Date quod superest, amabo vos, ante omnia sedulam operam, ut cum proepiscopo, cum sacerdotibus, cum præfectis, cum omni genere magistratuum nunquam litibus jurgiisve committamini, utcumque palam ab iis peccari manifestum sit; malo quod bona fide

potestis tranquilli remedii apponite; tumultuosam et morbo pejorem abstinete medicinam; nec ira et intemperiis jaciatis aleam funditus perdendi fructus, quem modestia et mansuetudine potueratis maturare.

Superiora dictavi, agnosce in sequentibus manum et cor meum.

O Cypriane, si scires quanto tui amore hæc ad te scribo, profecto diu noctuque recordareris mei; et forte non teneres lacrymas reputando tenerrimam ardentissimamque qua te flagrans amplector charitatem. Utinam paterent in hac vita pectorum arcana! Cerneres clare, mihi crede, frater mi Cypriane, insculptum te penitus meo animo. Vale.

Aprili Mense Anni MDLII.

Totus tuus, ut nunquam possim tui oblivisci.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XXI.

P. Gaspari Barzæo, rectori collegii Goani, Soc. Jesu.

De ratione agendi sine cujusquam offensione; ac primum de circumspecto et rarissimo cum feminis commercio, tum de viris diligentius excolendis. De concilianda pace, congressibus ineundis, altercationibus vitandis, sopiendis controversiis, cavendaque populi offensione.

De modo ac ratione agendi sine offensione cum hominibus hæc putavi præscribenda, quæ et te observare magnopere velim, et a cunctis nostræ Societatis tuæ gubernationi subjectis exigere.

Mulieres, cujus eæ cumque ætatis, ordinis, gradus sint, nemo nostrorum alloquatur alibi quam in loco publico, puta templo; nec in domibus visat, nisi periclitantes extrema necessitate infirmitatis minantis mortem, ad quam eas christiane obeundam comparare oporteat excipienda confessione peccatorum. Ac ne tunc quidem conveniantur nisi viris aut consanguineis ipsarum præsentibus; vel si familiares apud eas desint, honestis e vicinia personis; nunquam autem omnino sine arbitris, iisque idoneis ad testimonium.

Quare sicubi femina viri expers et orba parentibus convenienda domi suæ sit, ne illuc ingrediatur e Societate quisquam aliter quam adjuncto sibi comite viro probo, et pro tali habito cum a cognatis et necessariis mulieris, tum a vicinis et urbis aut totius pagi incolis, quo suspicionibus eatur obviam, et sermonum materia truncetur. Ac ne tali quidem circumspectione comitatuque adeantur, nisi, ut dictum est, in extremis periculis gravissimi languoris. Ergo quotiescumque morbo haud sontico tentatæ, prohiberi non putantur quominus vel statim, adnitendo paululum, vel non ita multo post foras prodeant, omnino in templis exspectentur.

Quin et in hoc genere cavendum ne multiplicentur, etiam ad graviter ægras, nostrorum accessus ultra quam summa flagitat necessitas; deturque universim severa opera resecandis etiam (quod dicitur) ad vivum rebus, ut quam maxime incidatur et in rarissimum extenuetur usum nostrorum hominum cum isto sexu commercium, lucri utique exigui, periculi maximi; quo spes incerta non magni plerumque ad Dei gloriam operæ pretii, ancipiti jacienda innocentiæ ac bonæ famæ redimitur alea.

Itaque ne in matribus quidem familias quæ templorum nostrorum terunt limina, licet multam ostentent propensionem ad bonum, erudiendis adhortandisque nimium vellem operæ atque otii nostros impendere. Causa mihi sic judicandi est quod inconstantes in propositis, verbosæ in

congressibus fere sunt feminæ; unde sequitur et temporis plurimum iis alloquendis perdi, et certi ac securi fructus colligi perparum.

Quanto igitur est compendiosius cum viris earum multum esse, iis informandis et ad omne decus excitandis immorari! Nempe illos capaciores monstratorum, tenaciores decretorum natura esse constat; cum iis quod confeceris fixum stabit, si quid promiserint præstabunt. Illi Deo adjuncti et uxorem et familiam component totam. In iis ergo potissimum elaboretur; hos otiosius, diligentius operarii Societatis excolant; quippe agros ubi tutius seritur, abundantius metitur. Magnum (mihi crede) ista cautio rumorum, nugarum, tricarum, offensiuncularum everriculum est; quare ut a cunctis tuæ curæ commissis inconcusse teneatur, enitere fortiter.

Si rixa exarserit inter conjuges, et nostros iis pacificandis experiri operam suaserit charitas, ejusmodi conciliationis sequestri sic habento longe plus momenti, ad negotii successum sibi constituendum, in patientius audiendo, diligentius admonendo marito, quam uxore.

Viros igitur adoriantur, dextreque abductos a negotio perpellant ad semel purgandum animum confessione generali, ad quam prius se comparent modico secessu, et meditatione aliqua earum quæ prima mensis ascetici hebdomada tradi solent. Tum ubi peccata vitæ totius viro exponenti sacerdos noster dederit operam, suaviter adducat, ut libens patiatur differri sibi absolu-

tionem sacramentalem in dies aliquot, quibus se sacris commentationibus ac piaculis, tum de vita emendanda seriis deliberationibus exerceat. Sic affecto et ad totum se Dei obsequio impendendum confirmato, facile nimirum persuadebis quæ ad pacem domesticam cum uxore stabiliendam pertinent; ac mali fonte obstructo, colliquiis jurgiorum exarescentibus, miraberis te duo capita sanasse, cum uni duntaxat medicinam adhibueris.

Quod si tibi, aut nostrorum cuipiam talia tractantibus, mulier seorsum adiens exponat magnis se urgeri desideriis Deo serviendi; ad id, impedimentum sibi esse ineluctabile contubernium viri, quippe lævi dissolutique ac morum incompositorum; habere se legitimas abrumpendi ab eo convictus causas, quas etiam se posse judici probare speret, ut res sibi suas deinceps habere auctoritate publica liceat; hæc et id genus alia, quæ plurima ac speciosa contexere valent ac solent istæ: cavete vos moveant ad cogitationem divortii probandam. Omnino perseverate suadendo ut cum viris maneant; æstus illi religionis teneri cito in sexu instabili languescent; tunc et sua decreta et vestra consilia damnabunt. Finge constantes fore; tamen et mariti periculum, et quæ fere nunquam his deest, offensio publica, graviora mala sunt quam ut iis præponderet fructus animi devotulæ unius, viduitatis bonis præmature jam in matrimonio frui occupantis.

Cæterum in negotiationibus istiusmodi vitate diligenter coram arbitris virum culpare, etsi pe-

nes eum culpam residere palam foret. Privatim conventum blande hortamini ad confessionem generalem; in ea, sumpta occasione ex iis quæ fatebitur, eum objurgabitis, sed leniter, atque ita ut appareat vos eo, quod ipse sibi peccando intulit, damno ipsius causa dolere, potius quam uxoris de ipso querentis injüriis commoveri. Nam hoc cavendum vel in primis putatote, ne vos plus mulieri favere, impensiusque quam sibi consulere vir sentiat, aut suspicari jure possit: securim spei successus magnam hæc ejus infligeret opinio. Ergo utcumque crimen ipsius sit, non tamen id ille unquam a vobis audiat; ubi eum ad hoc ultro fatendum perduxeritis, tum damnare quod ipse accusat sine invidia licebit; sed et tunc detrahenda judicio acerbitas est: sic vituperate quod factum perperam ipse qui peccavit dolens prodit, ut condolere vos ipsi magis quam succensere testificemini.

Amor, benignitas, sincera charitas in reum vestra in verbis, in vultu emineat. Ubique homines humaniter curari gaudent; sed hoc magis nuspiam usu venit quam in India: vitreum ad offensiones genus vehementia resilit ac frangitur; mansuetudine ducitur ac flectitur quo velis. Precibus hic et blanditiis quidvis impetres, minis et duritia nihil prorsus.

Quare, iterum moneo, etiam atque etiam attendite ne vobis unquam excidat, ubi vir ac mulier vobis arbitris disceptant, aut ipsi coram, aut eorum advocati fautoresve, ut virum utcumque

culpæ affinem sugilletis. Excipiunt cupide voces illas et iis incredibiliter inflantur indomitæ animæ mulierum; et semper imminentes in occasiones deprimendorum maritorum, ubi sibi faventem quasi auram fori senserint, religiosorum scilicet hominum, quos diremptores litium legerunt, temere indicatis secundum ipsas præjudiciis triumphant, eoque deinde semper licentius prosiliunt in querelas et criminationes conjugum suorum, cum suiipsarum excusationibus sine fine ac modo coacervatis, rabiosa loquacitate inculcandas stulte patulis auribus parum prudentum sacerdotum.

Ego vero adeo non vituperandum audiente uxore virum judico, ut etiam dissimulare debere sacerdotem arbitrer, credere se mulieris dissidium domesticum narrantis defensionibus allegatis pro se, quibus persuadere nititur nullam ejus culpæ partem imputari sibi posse. Verisimilia licet memoret et vera, tamen expedit non excusari eam ab interprete conciliationis, sed serio moneri de magno quo uxor tenetur officio virum honorandi perpetiendique mores ejus. Addant hanc feminis impositam a Deo legem plerumque ab ipsis violari non opinantibus, præ iræ perturbatione aut affectus, nimiaque suæ innocentiæ fiducia, dum sibi plus æquo favent et causas indignandi viris offerunt, cum eos patientia, demissione, obsequio delinere ac placare debuerant. Quare ipsas par sit accusare se, tum quoque cum sua illas videtur absolvere conscien-

tia; impense autem semper incumbere in studium et exercitium æquanimitatis, tolerantiæ, obedientiæ, humilitatis, quo viris subditæ vivant, prout christianis mulieribus Scripturæ Apostolicæ præcipiunt.

Sic ubi abunde purgaverint apud viros suspiciones uxoribus favendi, caveant vicissim ne apud mulieres offendant, jure suspecti tanquam ipsis iniquiores in gratiam virorum; quare ne his quidem præ se ferant credere, dum culpam a se in uxores conferunt. Sed jugum stateræ rectum sustineant, neutrorsum declinando, et aurem, quod dicitur, reo suam servent, non condemnando quemquam nisi auditum, et comparata defensione cum crimine.

Ita rem administrando, præterquam offensionem negotio perniciosam alterius contendentium vitabunt, etiam ad veritatem propius accedent; fere quippe in talibus uterque in culpa est, plus quidem hic, minus alter. Reipsa pars delicti sua cuique competit, ut justius agat qui ambos insimulet, neutrum plane absolvat; cunctanter ac circumspecte audiens admittensve quæ allegant pro se quisque. Compendiosior hæc ad scopum optatæ conciliationis via est, securiusque occurrit querelis et sermonibus male feriatorum.

Ad extremum qui se frustra in his laborare deprehenderit omnia conatus, partes quas adducere in concordiam desperat posse, ad dominum episcopum aut ejus vicarium remittat, idque neutra exacerbata, vel a se appellata durius,

Pronum enim est humanæ infirmitati erumpere in querelas adversus eos a quibus non impetratur quod æquum autumat qui petit. Quare nisi mediator parum felix valde prudens sit, patietur excidere sibi aculeos verborum aut ambos litigantes aut alterum perstringentium, quasi parum placabiles et æquos: unde nihil lucretur nisi odium ejus quem punxerit, et forte contemptum amborum, deprehensa conciliatoris imprudentia, sero se agnoscentium in delectu arbitri errasse. Ne igitur præter oleum et operam etiam alterius vel utriusque dissidentium gratiam perdatis, conamini patienti exhibitione benignitatis, et prudenti honorificentia verborum, placatos saltem ambos vobis benevolosque dimittere.

Ac in universum oro, ut collecti animo attentique adhibeatis vos in omni cum hominibus cujusquemodi congressu, semper memores spectaculum nos expositos mundo huic nequam, observari assidue intentis obtutibus exploratricis invidiæ, ac pronæ in sinistra judicia pravitatis, omnem ansam male de nobis opinandi ac loquendi paratæ arripere, tum proprio instinctu, tum instigatione mali dæmonis, irrequieti nostri ac pervigilis adversarii. Adeoque sic habetote inter omnes imprudentiæ lapsus esse illum perniciosum maxime, qui ultra præsens incommodum noxam in posterum luendam serit. Rapimur scilicet, ut nobis quidem videmur, zelo mero divinæ gloriæ, sed illo cursu in rectum intento ruimus; et nihil pensi habentes quid agamus aut

loquamur, dum religionis negotium urgeamus, ea committimus aut dicimus, quibus erubescendum aut dolendum postea nobis sit, sub acri sensu ex his natorum detrimentorum ingentium. Quæ cum circumspectione prævidisse, moderatione præcavisse debuissemus, nunc temere conscita in longam abundant inutilis ac seræ materiam pœnitentiæ.

Suspecta in primis sit iræ prolapsio, cujus irritamenta passim obvia in occursu tot scelerum facile præcipitant zelo abreptos, nisi vestigium in lubrico pedetentim ponant, et in voces aculeatas erupturienti linguæ frenum attrahant modestæ lenitatis, absque qua fervor omnis objurgantium sine fructu exardescit; quotus enim quisque est, qui excandescentis reprehensoris perturbata increpatione fiat melior? Nunquam igitur aliter quam sedate arguatis quos emendari expedit; nec emineat ira in verbis ad curationem prolapsorum ex perturbatione comparatis. Alioqui exemplum mali potius quam remedium objeceris; nam omnem iracundiam vitio passim vulgares homines adscribunt, adeo non parati credere Dei charitate accendi fervorem sacrorum hominum in peccantes impotenter stomachantium; ut certo inde teneri experimento arbitrentur esse ipsos aliorum similes, et nihilo secius quam plebeias animas, vehementium affectuum agi ferrique intemperiis.

Cum Religiosis aliorum Ordinum et omnis generis sacerdotibus quavis de causa vobiscum

altercantibus, demisse vos semper obnoxieque geretis, dantes, ex præscripto Apostoli, locum iræ ac perturbationi, si qua in ipsis appareat; idque non solum quando vestra vos conscientia reprehenderit, sed etiam quando clare perspexeritis et innocentes vos, et illos in culpa esse. Nec tunc ultionem de vos inique vexantibus majorem expetatis, quam vestrum humile silentium defensionem vestri juris modeste omittens, quando eam apud aures præjudicio et ira obseptas nequidquam allegandam intelligitis.

Ac tum recipientes vos intus in arcana mentis, commiseramini sortem eorum qui temere ruunt, contra quam fas et æquum fuerat agentes; quos utique serius ocius divina ultio excipiet, asperior multo severiorque quam vos aut ipsi suspicemini. Quare assidue preces apud Deum pro ipsis fundite, condolentes infirmitati et imprudentiæ illorum; diligentissime autem caventes ne ulla in re dolori vestro indulgeatis, vindicta de iis qualicumque præsumenda, vel cogitationibus, et votis tacitis dira ipsis increpantibus, vel sermone ac verbis apud obvios traducentibus iniquitatem eorum, multo autem minus factis quæ ipsis vicissim noceant.

Hujusmodi omnia quæ caro et sanguis, hoc est corruptæ naturæ pravitas, imperfectis suggerit, gravissimi periculi, damni maximi vobis fore, nisi rejiciatis, putatote. Planeque id certum citra ullam dubitationem habeatis Deum plurimas gratias et insignia beneficia large con-

ferre solitum iis, qui graves impugnationes sine ultionis desiderio patienter ejus causa perferunt, omnem impetum reponendæ injuriæ divinæ charitatis suavitate opprimentes. Tunc enim quasi obligari se misericordissimus Dominus sentit ad abunde compensandum quod injuste aufertur; et tanto plus ornandos ac bonis cumulandos quos calumnia deformat, violentia spoliat, nec tamen de statu mitis ac tranquillæ mentis indignatio deturbat, quanto licentius infestantur.

Ipsis quoque injuriæ auctoribus, qui vobis inique obstant et pia cœpta disturbant, peculiariter curabit suo tempore meritam ignominiam rependere: quæ omnia facere omittet, si vos ipsi partem ullam ultionis attingatis, et vel infestis affectibus læsæ mentis, vel querelis lingua prolatis, vel agendo quod potestis ut vestris vexatoribus ægre sit, vindictam per vos exequi conabimini.

Si vero (quod Deus avertat!) simultates inter vos et Religiosos alios exardescere contingeret, cavete ne coram prætore vel præfecto, aut omnino quovis sæcularium præsente, cum illis jurgemini. Offenduntur mirum in modum visis auditisque talibus sacrorum hominum eruptionibus homines laici. Quare si Religiosi illi in vos fuerint e sacro pulpito invecti, aut sermonibus apud plebem vos infamaverint, adibitis dominum episcopum rogabitisque ut, si ei videtur, illos accersat, et coram utrisque causa cognita, statuat quod e re videbitur ad contentiones componendas amovendamque offensionem publice perniciosam.

Ac dicite domino antistiti me ipsum orare ut facere id ille per se occupet, sopiatque mature controversias istiusmodi, ne in cognitionem magistratuum sæcularium, aut omnino, si potest præverti, in notitiam populi veniant.

Cæterum plane veto, utcumque illi contra vos ad concionem declamaverint, vicissim vos apologias et defensiones juris vestri e sacro pulpito exequi. Satis sit, ut dixi, referre vos rem ad episcopum, et ab illo impetrare ut adversarios vestros coram se citatos vobis præsentibus audiat, cognitisque rite cunctis, quomodocumque lites finiat, scandalaque ex iis eruptura in exitiosissimam populi offensionem, auctoritate ac sapientia prævertat sua.

In quo advertatis velim haud esse situm Societatis honorem in strenue propugnando coram plebe jure nostro, causaque argumentis evincenda apud homines, et applausibus auditorum emerendis, quo loco et tempore id fieri non decet. Dei judicio negotium totum stat; si Deus improbet quod agimus, falsus populi favor veram nostram apud Deum non absterget infamiam. Illud ergo ante omnia curemus ut cum Deo nobis constet officii ratio, ut Deo auctore operemur, eodem approbatore non falso gloriemur. Nunquam autem ille probaverit ducere nos contentionis funem cum gravi perturbatione publica, qui utique suos vult dare locum iræ, tumultus compescere, tranquille vivere, cum pacem etiam odientibus esse pacificos.

In his ut ita vos geratis non tantum summopere commendo, sed pro imperio etiam mando ac plane jubeo: ut, inquam, vestram ipsi causam, quantumvis publice lacessiti, non agatis; sed ad dominum episcopum confugiatis ejusque judicio stetis, illum suppliciter orando ne cunctetur pacem stabilire, ubi homo inimicus discordias seminat.

Tandem super omnia te ipsum commendo tibi ipsi. Fac semper recorderis te membrum Societatis Jesu esse. Hæc tibi suggeret cogitatio quid in quavis occasione conveniat te facere. Vale.

Goa XVII. Kal. Maii An. MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XXII.

Eidem P. Gaspari.

Absoluta religiosi regiminis institutio: humilitas suo primum, deinde aliorum animis ingerenda; superbia in omnibus castiganda; ignavi ac debiles incitandi; arrogantes laici deprimendi. Societati adscribendorum probationes; votorum nuncupatio et obligatio. Quotannis ad B. P. Ignatium, *et universos*

per Europam Socios scribendum; indulgentiæ impetrandæ. Poscentes Societatem seligendi, nec ad sacerdotium promovendi nisi abunde probati. Prius et magis domesticis quam externis consulendum; vicarii ad quævis idonei deligendi; destinati sacris perficiendi. Accuratæ litteræ crebro absentibus et mittendæ et exigendæ. Necessaria in episcopum et proepiscopos observantia. Jubilæi fructus. Socii in Dium, Japoniam, Cocinum, Bazainum. Amicitia cum Religiosis et parochis impense colenda; negotia secularia, seculariumque subdola colloquia declinanda. Adhibenda cura seminarii; ac circumspectæ ad regem litteræ conscribendæ.

UT ista, quam tibi demandavi, Goani hujus collegii et Sociorum per hos tractus gubernatione, recte ad tui et aliorum animi fructum defungi valeas, hæc in procinctu peregrinationis longinquæ scripto expressa mandata relinquenda tibi censui, quæ te majorem in modum velim sæpius absente me legere, memoriaque præsenti semper amplecti; quod horum ductu consilioque monitorum in omni cujusquemodi negotiorum administratione, ad eum quo unice aspiramus divinæ majoris gloriæ scopum te utiliter dirigendum existimem.

Ante omnia satage ut in continuo intimæ tui depressionis sensu defixum teneas animum, juxta ea quæ tibi alias poscenti de hoc genere præcepta tradidi, quotidiana ea meditatione recolens, iisque alte penetrandis insistens, quoad insculpas

indelebiliter tuæ menti tum quæ tibi suggessi, tum quæ illa ipsa commentanti tibi Deus per suam misericordiam inspirare dignabitur.

Cum Patribus, sive qui domi tecum vivunt, sive qui alibi degentes tibi subsunt, age semper cum magna modestia, affabilitate, indulgentia, sine asperitate ulla vel fastu, nisi si qui eorum tua moderatione et humilitate abuterentur. Tunc enim, intuens duntaxat utilitatem ipsorum, non autem quasi dominium sanciens proprium et tuæ auctoritatis contemptum ulciscens, potestatis tuæ iis modice castigandis specimen edes, præcise quantum opus erit ut et prolapsi subleventur emendatione necessaria, et Fratrum nostrorum qui culpam viderunt offensio salubri coercitionis exemplo deleatur.

Quidquid a Patribus aut Fratribus contra obedientiam peccabitur, aliqua pœna vindicetur; et in hoc sacerdotum supra clericos aut laicos nihil eximii sors habeat. Si qui e tibi subjectis superbe se tecum gerent, et opinione sui tumidi supercilium elatum ac frontem duram opponent tuis nutibus, eos tu vicissim preme, plus imperiosæ severitatis quam benignæ affabilitatis ad illos adhibens. Ergo pœnas istis maxime pro culpis quotidianis publicas injunge; ac omni ratione provide ne debilitatem in te aliquam hi sentiant, seque timeri putent, ideoque impune ferre cum alia acta perperam, tum præsertim quæ contra moderatorum imperium delinquunt.

Nihil magis confirmat in audacia, provehitque ad rebellionem contumaces subditos, quam experimentum infirmitatis in præsidibus; quos ubi animadverterint circumspectare ac vereri, nec audere pœnas indicere reverentiam majoribus debitam et obsequium negantibus, immane quantum inflantur usque ad insolentem præfidentiam, in qua successu ipso corroborati perseverant; imo crescunt semper perniciosissimis quieti publicæ augmentis.

Fac igitur omnino quod jubeo, nec te respectus ullus aut metus judiciorum sermonumve teneat, quominus quod debes exequaris.

Sunt e subditis quidam non pervicaces aut refractarii, at debiles et obliviosi, qui jussa majorum non ullo contemptu migrant, sed interdum negligunt ignavia quadam ac imprudentia. Hos coerce benignius, reprehensionum acerbitatem temperans serenitate vultus ac frontis, ac necessario piaculo erroris pœnæ levis indictione defungens.

E Fratribus laicis si quos videris supra sortem suam arrogantiæ quadam specie efferri, da operam attentissimam ut deprimas, vilissimis quibusque applicans usus domestici ministeriis, tum iisdem, quoad ista opinione sui subnixi apparebunt, vultum semper gravem ac severum aspernabunde offerens. Tumoris remedium id frigus fuerit, quo icti si se contrahent, tum sane licebit de fastidio remittas; ipsis jam in modestiam submissis, temperato statim despectus rigore quasi

gratulans, ut ex comparatione contrariorum e contrariis cœptis eventuum per se intelligant quid expediant; interimque perniciosum errorem deponant, quo sibi blandientes istiusmodi homines, interdum credunt se necessarios Societati esse: quam tamen superbis non egere ex ea secum, quamdiu plus æquo sibi arrogant, rectoris austeritate, si sapiunt, sentient.

Cave unquam adducaris ut in Societatem admittas homines exiguæ industriæ, parvi judicii, modici captus, infirmarum virium, nulli admodum rei bene gerendæ idoneos, aut quos suspicari possis tædio inopiæ domesticæ potius quam Deo serviendi studio, animum ad Religionem appellere.

Quos tu aut Pater Morales admiseritis, velim per te ipsum exerceas commentationibus asceticis per mensem, neque ad id vicario utaris aliquo e Fratribus. Toto illo tempore acri eos attentione observabis, penitus explorans quoad intime pernoscas. Absolutis exercitiis, occupabis illos vilibus officiis, puta curæ infirmorum in nosocomiis publicis, ministeriis domesticis culinæ, aut id genus obsequiis humilibus. Dum meditationibus vacant, exiges ab eis diligenter rationem conatus quem adhibuerunt in recte, juxta præscriptam formulam, obeundis orationibus solitis. In quo si eos ignave ac tepide versari certo deprehenderis, vel eos remittere unde venerant poteris, mature Societatem exonerans; vel, si spes emendationis alluxerit, amovere ad dies aliquot

ab exercitio sacrarum commentationum, velut in pœnam eos privans honore, quo se indignos præbuerunt sua negligentia; ut ista velut nota confusi acrius desiderent redire in stadium cum Sociis, et pariter ac illi legitimo spatio certare.

Circa votorum nuncupationem hanc regulam tenebis. Primum edices cunctis quos ad probationem admiseris, ne ulla se Deo promissione obstringant, nisi re prius tecum communicata, et tuo in id assensu impetrato; idque potissimum inculcabis in principio exercitiorum. Quos satis probatos vota rite concipere oportuerit, ii diserte polliceantur paupertatem, castitatem, et obedientiam. Sed prius admoneantur contracta ipsos, vi religionis istius, eo duntaxat usque obligatione stringendos, quoad in Societate perstiterint; e qua, si (quod Deus prohibeat!) propter ipsorum culpas a rectore, aut alio qui ab eo potestatem acceperit, amandentur, soluti prorsus mansuri sint omni vinculo ejusmodi votorum.

Porro hæc vota concipiantur te præsente, pronuntiantibus qui vovent, ex formula scripto a te tradita, verba quæ hanc eorum oblationem indicant. Ritus etiam cæteros iis, prout convenit, ante præscribes. In quibus sit: ut sacris operante sacerdote, ac venerandum Christi Corpus ministrare parato, ipsi prius clara voce pronuntient formulam votorum, tum continuo sacra Eucharistia impertiantur.

Hæc obligationis votorum ex perseverantia in Societate suspensio eo magis in hisce Indiæ

partibus est necessaria, quod minus multa sunt hic cœnobia religiosorum Ordinum alterius instituti, ad quæ transmitti possint qui, nostra Religione semel rite suscepta, inepti ad eam deprehenduntur. Quare ut libertas abscindendi a se membra noxia, sine qua stare nostra Societas nequit, integra ei conservetur, omnino expedit declarare voventibus nexum, quo se implicant nuncupandis Religionis votis, legitima ipsorum e Societate per ejus præpositos dimissione resolvendum.

Scribes ad Socios ubicumque horum tractuum degentes, vetans ne quisquam uspiam ipsorum, te inconsulto, ullum in Societatem admittat, et admonens, si fecerit, irritum id fore, quod potestate ad id legitima careant. Quare si qui se offerant quos idoneos putent, perscribant ad te quibus ii dotibus ac facultatibus ad operam divino obsequio in Societate navandam sint præditi.

Responso a te accepto, quo non abhorrere te significes ab iis albo Sociorum adscribendis, tum sane spem illis dari certam optati assequendi nihil vetet, adeoque vel mitti ad te, si jusseris, Goam poterunt; vel si malueris, præcipies ut ibidem ab aliquo nostrorum ad hoc idoneo asceticis commentationibus menstruo spatio exerceantur, et sic interioribus nostræ disciplinæ probationibus admoveri incipiant. Quamquam universim conducibilius putarem, ubi non obstiterit impedimentum insuperabile, vocari eos ad hoc collegium; ibi enim videntur commodius et certius explorandi,

Tamen, ut dixi, rem totam permitto arbitrio tuo; secuturi videlicet in hoc et aliis vere et unice quod rectissime ad majus Dei obsequium credideris tendere.

Omnibus per hos tractus præsidibus domuum aut stationum Societatis, ubi negotium procurandæ salutis animarum vel primario a nostris geritur, solis illic ecclesias proprio pastore destitutas regentibus, vel ordinariis locorum sacerdotibus subsidiariam navantibus operam, commenda diligenter, ut singulis omnino annis ad nostrum Beatum Patrem Ignatium accurate ac copiose scribant, exponentes singillatim quidquid boni Deus per ipsos efficere dignatur in iis locis et gentibus quas excolunt. Sed caveant sedulo ne isti narrationi quidquam interserant quo ullus legentium possit offendi; resecent si quæ sunt inemendabiliter peccata sine operæ pretio vulganda, cognoscenda cum scandalo, qualium inauspicata mentio lectores inutili mœstitiæ, scriptores justæ reprehensioni imprudentiæ subjiciat. Indicare satis habeant quæ nosse juvet, quæ memorari dignum sit, propagationem regni Dei, victorias gratiæ, conversos ad Christi religionem idololatras, emersos e cœno criminum sceleratos. Addant si qua spes se ostendat ulterioris brevi profectus exstituri.

Mittant et alias eodem argumento, pari delectu compositas, litteras ad universos per Europam Socios, per quas iis communicent, ad Dei gloriam et solatium mutuum, successus laborum suorum,

citra sugillationem ullius, querelam intempestivam, aut importunam enuntiationem tacendorum. Eæ inscribi poterunt partim Sociis Conimbricensibus, tota per ipsos Hispania spargendæ; partim Romæ degentibus, ac quoquoversum per Europam reliquam diffusis Patribus et Fratribus Societatis.

Præterea tu, privatim ad rectorem collegii Conimbricensis de statu ac fructu tui hujus collegii Goani scribendo, indicabis ea quibus illum gavisurum cognitis arbitrabere. Nec vero ad hujus judicium solius scriptionis tuæ formam exigas: alios cogita plurimos cujusquemodi ordinis illud tuum scriptum (nam talia cupide visuntur et late sparguntur,) expensuros; quorum timere ac prævertere censuras pudoris ac prudentiæ tuæ fuerit; quin et insuper dare operam ut non solum sine offensione, verum cum profectu legentium, curiositati possit publicæ satisfieri istis a te digestis Indicarum rerum narrationibus vulgandis.

Proprie nostrum Beatum Patrem Ignatium edoceas accurate scriptis litteris censeo, quanti, ad Dei gloriam promovendam in his Indiæ partibus et profectum majorem animarum procurandum, intersit impetrari per eum istic a summo Pontifice nostræ per hos tractus Societati gratias spirituales, puta indulgentias plenarias, iis propositas qui ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta rite accesserint. Oporteret autem redire aliquoties per annum, festis scilicet celebrioribus, sacri ejus lucri opportunitates populis oblatas,

nec uno brevi tempore cunctis simul locis indici. Quoniam cum exigua hic copia suppetat sacerdotum, præsertim idoneorum causis conscientiæ perite dijudicandis, spatium non angustum dandum est multitudini confitentium ad explicandos sinus omnes animi, et piacula necessaria explenda. Tum Patribus otium præberi convenit, quo ex urbe vel pago uno rite impertito pontificiæ indulgentiæ fructibus, ad alium transmigrent simili beneficio donandum.

Admone autem ut curet, si possit fieri, concessiones istas gratiarum mitti huc rite consignatas diplomatibus subscriptione legitima et sigillorum appensione firmatis, quæ ad fidem suspiciosioribus faciendam ostendi queant; non enim in hisce regionibus desunt qui ægre adducantur ad pro indubitatis admittenda indulta ejusmodi, nisi formulis atque indiciis undequaque certissimis comprobentur. Expediret etiam diserte istis bullatis diplomatibus exprimi velle Pontificem extendi sui hujus beneficii usum fructumque in omnes cujuscumque sexus, ætatis, ordinis, Christi fideles, qui ultra caput Bonæ Spei usque ad extremum Orientem inquilini, vel indigenæ, aut quavis ex causa peregrinantes, diversantur.

Facilius persuadebis Patri nostro Ignatio ut in hoc elaborare non gravetur, si, quod vere potes, magnifice prædicaveris fructum animarum, qui ex Jubilæo huc ab illo semel antehac misso plane ingens ac stupendus exstitit. Quod Jubilæum, cum isto quod indicavi angustiarum temporis,

brevi die præscripta, urgeretur incommodo, si tamen tam insigniter profuit, inferes quanto plus sperandum insignis lucri sit ex plenariis indulgentiis per spatia plurium annorum in certas festorum recurrentium solemnitates apte descriptis.

Expromas in hac causa censeo tuam omnem persuadendi vim, nihilque reliqui tibi facias ad summum conatum evincendi, ut in eo Pater Ignatius impetrando quantum potest enitendum existimet, addens etiam me hoc ab ipso majorem in modum contendere, in beneficii singularis parte numeraturum, si meis inflexus precibus, hisce populis tantam cœlestium utilitatum occasionem gratificari non dedignabitur.

Scribas etiam ad Magistrum Simonem aut rectorem collegii Conimbricensis, orans ut eadem hac de re cum rege agant; expositoque fructu immenso qui ex ejusmodi promulgatione indulgentiarum colligendus certo est, impetrent ab ejus Majestate, ut suis Romam litteris negotium adjuvet, aut potius pro sua summa illic auctoritate atque apud Pontificem gratia conficiat, curans diplomata ejus generis Patri Ignatio consignari, quippe inscripta Societatis Jesu collegio Goano, ut Patrum illic degentium arbitratu publicentur. Hinc enim fiet ut populi, procuratis et ministratis per eos deliniti gratiis, studio ipsos et veneratione majori amplectantur; qua vulgo acceptiores labores ipsorum, ac sic omni passim hominum generi utiliores evadant.

Poscentes Societatem, utcumque non ineptos, cave admittere festines in ætate adhuc nimis tenera. Prorsus vero rejice quos ad ea pertinere hominum genera constiterit, quibus nominatim Pater Ignatius nostri Ordinis aditum voluit semper esse obstructum; quorum, ut scis, unum est, trahentium originem a gente Judæorum. Attende præterea ne quem admittas non egregie dotatum facultatibus ad rem bene gerendam in aliqua parte propriorum Instituti nostri ministeriorum accommodatis. Si vero funditus rudes litterarum sint, utcumque polleant ingenio, in spirituales operarios adscisci plane veto; quin ubi exceptione carentium multitudo se oggeret, tu tamen turbam vita. Paucos ex pluribus, dignissimos e dignis excerpens, selige pro numero locorum et munerum, habita simul ratione casuum contingere solitorum, ut nec desint quos mittas quocumque res vocat, et morbo aut morte deficientibus substituas; nec tamen abundent otiosi, aut numero domum gravent.

Promoveri ad Sacerdotium Sociorum quemquam non satis litteratum, et morum innocentia usu plurium annorum abunde probata conspicuum, haudquaquam sines; quandoquidem id Pater Ignatius tam diserte prohibuit. Et si taceret ille, res ipsa loquitur; tristisque recordatio incommodorum, quæ ex hoc fonte orta gravissima sensimus, deterrere ab eo nos satis debet. Neque fucum tibi faciat spes eximiæ religionis in idiota eminens, quasi ea compensari doctrinæ defectus

queat; nam has spes eventus non raro coarguit, occasionibus larvam excutientibus, et fere ad extremum unoquoque se talem prodente qualis revera est. Quare lynceum te velim in penitus introspiciendis recessibus mentium, nec statim capi lacrymulis inter preces fusis, aut suspiriis excussis pectore quorumdam, dum sacra meditantur. At quoad certis experimentis perspexeris acriter imperare ipsos pravis affectibus naturæ, iram, cupiditatem, pervicaciam semper frangere, abhorrere vehementer ab omni captatione inanis gloriæ, certo istis judicio ne tribuas decus absolutæ omnibus numeris et usquequaque consummatæ sanctitatis.

Ordo charitatis postulat ut prius et magis domesticis quam externis consulatur. Quare vide ante omnia ut primum erga Fratres nostros, erga pueros et orphanos indigenarum, alumnos hujus domus, partes officii paterni plane omnes expleas, animis horum et corporibus ea sollicite procurando quibus egent. Hac cura perfuncto licebit quod supererit otii ac virium effundere ad benemerendum de alienis quoque.

Hoc tibi et nomine Patris nostri Ignatii præcipio, et ex animi mei sententia quam possum impensissime commendo, quippe habeo persuasissimum præcipui hoc monitum momenti esse: nec fere tolerabilius errare illos qui, oculis hominum probare se speciosa superficie contenti, nihil pensi habent intima mentium rimantibus Dei obtutibus satisfacere, quam qui, securi querelarum

domesticarum, civitatis captant gratiam, sese perperam arbitrantes officium explesse, cujus primo ac potiori capite neglecto, in posterioribus duntaxat et accessoriis totum præpostere consumpserint studium. Aberrant tota via qui sic agunt; quorum in numerum ne venias, singulis te cupio diebus hujus admonitionis meæ refricare memoriam.

Spissum adeo ac multiplex istius tibi commissæ præfecturæ negotium video, ut manifestum sit cunctas ejus partes obiri a te uno nequaquam posse; quare cum necesse sit vicariis te uti qui singularia multa pro te curent, duo in hoc tenere te cupio: prius, ut quos ad quidque adhibebis, peritos rei quæ committitur noveris; alterum ut sedulo iis invigiles rationemque subinde repetas actorum, nec si quid peccaverint inemendatos sinas. Quare tibi velut in alta specula locato generalem in omnes vigiliam demandatam puta, in qua prout inconniventer intenteque, oscitanter aut remisse versabere, ita bene aut male subditis consules, et vel officio satisfacies, vel reum te perages male administratæ potestatis.

Potissimam hujus injunctæ tibi providentiæ partem ea ministeria sibi vindicant, quorum utilitas patet latius. Quocirca præcipue intentum esse te oportet primum nostrorum orationibus ad populum e sacro pulpito; deinde auditioni confessionum; præterea colloquiis eorumdem, ac conversationi cum externis; postremo tractationi piorum operum; concionatores et formando ad

veram ejus functionis ideam, et probando ac corrigendo cum opus fuerit; confessarios admonendo et erudiendo quantum est satis, tum prout licebit explorando ut se gerant; postremo satagendo ut nostrorum congressus familiares cum variis generibus hominum frugifere ac religiose obeantur; ac tum ante instruendo, tum post examinando, quo exacte dirigantur ad perfectionem Instituto nostro consentaneam.

De Sociorum prædicandi causa peregrinantium, aut per stationes hinc dissitas varie sparsorum statu actisque, ut quam frequentissimis iisque fidis nuntiis fias certior impense cura. Scribes iis crebro, nec perfunctorie; sed cuncta minutim explicans. Jubebis vicissim sæpe illos ad te copioseque rescribere. Huic commercio sedulo attendes, per otium considerans quas accipies litteras; nec nisi meditato tuas dictans; denique, quod res est, statuens magnam officii tui partem ea diligentia contineri. Super hæc, externos qui e locis ubi nostri degunt venerint, curiose de iis interroga ut se gerant, qua existimatione sint, quid a populo dici de illis audierint?

Scribas ad me Malacam plenissime de cunctis hujus collegii rebus, de singulis nostrorum ad evangelizandum missis, ubi quisque, qua strenuitate, quo successu elaboret; cave cursim defungaris, hære in singulis, ad infima descende. Adde quo loco sint res etiam politicæ illorum tractuum, nam et hæc nosse nostra interest. Nec omittas quid aliorum quoque professores Ordinum

ad Dei gloriam et salutem animarum, quo eventu moliantur. Adjunge quid e Lusitania recentibus nuntiis feratur. De nostris Conimbricensibus, Romanis, ubicumque per Europam degentibus, quid fama memoret, quid scripta nostrorum indicent.

Quæ litteræ, præsertim a Magistro Simone, a Romanis amicis ac Patribus mihi inscriptæ tibi reddentur, earum, si pluribus ut assolet exemplis venerint, unum exemplar Malacam ad Patrem Franciscum Perezium destinabis; nam huic mandabo ut eas ad me descriptas non una via dirigat. Sin unicum illarum exemplum acceperis, aperies et describi a fido amanuensi curabis; tum archetypo retento, apographum mittes Perezio. Hoc annis singulis exequi sollicite memento.

Efficies omnino ut Patres qui Bazaini, Cocini, Colani, per oram Comorinensem, in Sancti Thomæ degunt, semel quotannis ad me scribant accurate ac fuse. Minime vellem hoc ab illis aut a te negligi.

Vehementer etiam atque etiam commendo ut tu ac Patres omnes morigeros vos et plane obedientes domino episcopo præstetis, diligentissimeque caveatis ne quidquam ulla unquam in re ipsi facessatis molestiæ; sed contra studeatis in cunctis, quantum maxime potestis, inservire ac gratificari Patri tam benevolo atque indulgenti, tot nominibus merito, ut cunctis obsequiis pietatem ipsi summam rependamus.

Patribus, qui extra Goam degunt, mandabis ut dominum episcopum scripto identidem venerentur; brevibus litteris, quæ fructum duntaxat animarum, quem ex suis laboribus Deo adjuvante colligunt, nuntient. Addant eodem quidquid vere possunt in ejus vicariis loca illa tenentibus laudare, prolixe commendando si quid bene ad utilitatem publicam gerunt; quidquid item alii Religiosi et sacerdotes concionando, sacra cætera ministeria obeundo, lucris Ecclesiæ apponunt, liberaliter celebrent. Si nihil sit boni quod referant, sileant de his; nec suarum esse partium putent querelas de proepiscopis vel aliis evangelicis ministris ad episcopum deferre; non deerunt qui deferant. Quin etiam nollem, si cujus alterius negotii cum episcopo tractandi necessitas inciderit, id istiusmodi epistolis inseri, quas ad consolandum et recreandum bonum Patrem mere comparatas velim. Ergo dum tale quid occurret, seorsum scribatur.

Serio admonebis nostros omnes meo nomine, ut multam obedientiam ubique proepiscopis exhibeant; denuntians mihi fore molestissimum, si audire alicunde contigerit litem ullam aut controversiam exortam inter ullum proepiscoporum et Patres Societatis, qui loca illi subdita excolunt. Addes cupere me distincte memorare ipsos in litteris quas ad me dabunt, quam bene illis cum proepiscopo conveniat. Gratissimum etiam mihi esset efficere ipsos, ut ipsi proepiscopi, litteris ad me scriptis, testarentur quam bene et

quanto fructu Patres nostri in suis territoriis laborent. Hoc iterum pro rei momento inculco, provide etiam atque etiam, oro te, atque omni ratione satage ut in arcibus præsertim Lusitanorum, nostri qui stationes illic habent conjunctissime cum proepiscopis vivant, nec quacumque tandem ex causa ullam cum iis contentionem suscipiant.

Ac quo plus hæc commendatio apud ipsos habeat ponderis, diserte perscribe iisdem litteris quibus hoc mandabis, me in Sinas solventem scriptum in hoc collegio mandatum tibi reliquisse ejiciendi e Societate quoscumque nostrorum qui apud proepiscopos offenderint, aut cum iis simultates quoquomodo susceperint.

Ages post meum discessum cum domino episcopo, ut, si ei videatur, scribat de Jubilæo ad loca ubi Patres Societatis sunt, jubens illud promulgari, quo animarum fructus ex eo qui speratur possit existere. Laxatum huic Jubilæo spatium est in totum hunc annum 1552, ut commode valeant eo frui quotquot in arcibus Lusitanorum varie sparsis per Indias, procul interdum ab opportunitate purgandi animum per confessiones degunt; quibus illa mora poterit consuli, submittendis ex aliis in alia loca ubi opus fuerit nostris Patribus. Ea mihi causa fuit procurandi ut in hunc annum universum facultas lucrandi tam insignem gratiam extenderetur.

Si forte inter Patres qui hoc anno e Lusitania venient, aliqui essent facultate dicendi ad popu-

lum plus quam mediocri præditi, unum ex iis censeo Dium mittas cum laico adjutore, mandata ei tradens quæ olim scripsi sedem Armuzianam tenentibus. Ea sunt, ut scis, editionis quasi duplicis; nam et tibi eam primum stationem adeunti multa præcepi, tum ei qui tibi successit in eo munere quædam addidi. Scripti utriusque scio exempla superesse. Horum copiam fac habeant si qui Dium mittentur, enixe commendans ut lectitent ac sedulo observent.

Inter appulsuros e Lusitania nostros proximo navium adventu, si quem animadvertes non illum quidem exercitatissimum in dicendo, aut a quo sperare liceat motus ingentes concionis, non ineruditum tamen; sed qui videatur, pro et animi et corporis viribus, futurus patiens laborum: hunc navigatione quæ fit Goa Malacam flantibus Aprili Etesiis, eo destina ut Malaca Japonem petat opportunitate prima, illic conjuncturus operam cum Cosmo Turriano.

Verum provideas oportet ut pecuniolæ aliquantulum alicunde emendicatæ eo secum ferat, unde ipse ac Socii victitent; nam operariis adhuc evangelicis illa terra laborum duntaxat ferax est. Bonorum quæ agant, malorum quæ patiantur habent affatim; subsidiorum vitæ ac solatiorum corporis nihil ferme: quare adhibe animum ad eos utriusque generis auxilio juvandos, in eoque summo studio contendere te velim. Ac præterea tuis aliorumque precibus ac Sacrificiis a Deo impetrare satage ut esse ipsis propitius dignetur,

tum illuc euntibus per tot discrimina vasti et infesti maris, tum illic inter ærumnas ac pericula versantibus.

Si quos classis e Lusitania exspectata nobis hoc anno Patres advehet, ii pariter omnes eloquentia simul et eruditione supra vulgarem excellerent modum, ita ut nullus esset eorum qui non plus facultatis ad dicendum e sacro pulpito habere videretur, quam noster Antonius Heredia, qui Cocini eo munere fungitur, volo unum ex his mature Cocinum mittas successurum illic Herediæ, et mandatum ei a te allaturum conferendi sese in Japoniam. Sed priusquam hoc decernas, explora diligenter ecquid omnino verisimillimum sit utilius istum, et uberiori quam Herediam fructu concionandi officium Cocini gesturum; nisi enim de hoc satis constet, ac contra prudenter existimetur parem duntaxat et nihilo superiorem dicendi vim huic recens advecto et Herediæ competere, nihil puto esse causæ debere cur quidquam illic mutetur. Quocirca relicto ubi est Heredia, illum alium novum concionatorem in Japoniam mittas censeo.

Simile quidpiam injungo circa Melchiorem Nunnezium, qui Bazainensi præest collegio, et concionatoris ibidem munus exercet. Vellem, inquam, si copiam oratorum insignium Lusitanæ naves attulerint, unum ex iis successorem Nunnezio dari; talem scilicet qui et magnos animorum motus concitaturus in populo dicendo, et domesticæ administrationi, etiam rei pecuniariæ

et vectigalium, quæ Bazaini ad alimenta operarum evangelicarum Societati rex assignavit, prudentia et attentione par futurus videatur.

Tum vero Melchior Nunnezius, Bazainensi procuratione liber, Etesiis Aprilis Malacam naviget, inde Japonem petiturus. Gauderem equidem, pro ea quam teneo notitia dotium Melchioris præstantium, et illa Bazainensi occupatione superiorum, talem hominem expeditum illinc, substituto idoneo successore, posse transferri. Doctrina enim, qua est insigniter excultus, illic multo esset utilior quam Bazaini modo est. Id porro si fieret, moveri Herediam Cocino haud expediret, cum aliis de causis, tum quia Japonienses angustiæ plus uno augeri Socio non exigunt nunc quidem. Cæterum tu omnem (quod solet dici) funem move, nihilque conatus ac contentionis omitte, quoad efficias ut saltem unus hoc anno in Japoniam, comes illic futurus Cosmo Turriano, naviget.

Cum reverendis Patribus et Fratribus ordinum Sancti Francisci et Sancti Dominici, tam tu quam nostri omnes Goani collegii, veram semper amicitiam omnibus, quod ad vos attinet, religiosæ charitatis plene cultam officiis tenete; diligentissime, quod in vobis est, cavete ne ullam cuiquam illorum quisquam vestrum dissidii ansam præbeat. Si ab illis discordia cœperit, cujus significationes e sacro ipsis pulpito erumpant, vos iis responsare arbitro populo, per Deum, abstinete. Dicant illi quod suus illis zelus dictaverit: vos

silendo charitatis et obedientiæ debitum explebitis; diserte quippe veto vos contentionis funem cum strepitu quolibet prætextu ducere; nolo, inquam, quantumvis læsi utcumque immerito infamati vobis videamini, verbum unquam publice mutiatis, quo vestri doloris et sensus injuriarum indicium capere vel minimum auditores queant. Plane nihil tanti est, quo populi offensio ejuscemodi ex conflictibus nasci solita pensetur.

Si tamen ex impune contra vos frequentatis declamationibus adversantium oriri scandala cum Dei offensa conjuncta cerneretis, incertumque non sine damno animorum hærere vulgus, dubium utri dissentientium credat, deferetis rem ad dominum episcopum, et eum orabitis ut vocare ad se dignetur eos a quibus palam traducimini; ac auditis coram vobis accusationibus eorum, et post illas vestris defensionibus, controversiam suo judicio finiat, pacemque reddat rebus, ac querelis conciones turbantibus modum ponat; quandoquidem nos item ut Patres illi unum cuncti pariter spectamus, nimirum ut Dei cultus augeatur et animæ ad salutem proficiant. Ista interpositione auctoritatis domini episcopi, satis (quantum vestrarum est partium) præcavebitis, ne et Dei majestas et populi simplicitas ejusmodi certaminibus offendatur. Denique conciliatam per hunc modum vos inter et memoratos Patres gratiam, alere atque augere conabimini visendis interdum iis, et omni religiosæ charitatis officio prosequendis.

Parochos hujus civitatis, et quocumque titulo ecclesiarum singularum præsides omni benevolentiæ significatione demeremini, gratificantes iis prolixe si quid postulent quod in manu vestra sit, concionantes quoties rogabunt in templis ipsorum curæ commissis, et in omni occasione occursuum aut congressuum sic agendo ac loquendo, ut illi vos sibi esse amicissimos plane persuasum habeant.

Negotiis sæcularibus cave te aut Socios implicari quocumque prætextu sinas. Cum hæc ad vos deferentur, respondete vobis ab administratione verbi Dei ac sacramentorum vix superesse tantum otii, quantum est necessarium orationi et studio, quibus vos comparetis ad sacras functiones perorandi ad populum, et in pœnitentiæ tribunali jus dicendi; non posse, nisi perturbato charitatis ordine, præhabere procurationi salutis animarum et cultus divini quæstum terrenarum rerum et curas humiles temporalium proventuum. Sic tricas ejus generis a te ac tuis cunctas excuties: ni facias, grave tibi ac Societati damnum illaturus; nam scito ea porta mundum in religiosas domos plerumque irrumpere, cum summa pernicie religiosorum ac religionis.

In congressibus eorum qui te conveniunt, introspice solerter quid quisque spectet; nam sunt qui spiritualis profectus, sunt qui temporalis commodi causa nos adeunt. Quin etiam satis constat reperiri non paucos, qui confessionis sacramentum quæstui obtendant, nostris se sacerdo-

tibus in aurem admoventes potius ut occultorum rei domesticæ vulnerum ac familiaris inopiæ, quam peccatorum indicium afferant. Ab his etiam atque etiam ut tibi caveas moneo. Adeoque, ne in errore diu hæreant, mature istis denuntia nec erogatione pecuniæ, nec suffragatione favoris humani posse te ipsis prodesse.

Colloquia porro cum talibus breviter expedi, nam largi verborum sunt, et si aurem indulseris, multum tibi otium absument sine operæ pretio; quoniam id genus ad sensum spiritualium detrimentorum fere occalluit, tota mentis attentione in desiderio corporeorum quibus egent solatiorum unice defixa. Ejusmodi ergo seu viri seu mulieres, cujusque ordinis aut generis tandem sint, vide ut paucis abs te dimissos procul habeas, velut fucos tuo mellificio infestos; qui mere terrena sapientes, quem implicare sibi potuerint citius e cœlo detrahant, cessare a salutari animarum subsidio importunis de cibo corporum interpellationibus cogentes, quam ipsi ejus quantolibet conatu e vilium, ubi desident, curarum cœno quodam attollantur.

Hoc mandatum eo inculco instantius, quod summe tibi necessarium clare perspicio; nec pensi quidquam habeas quid clam questuri, aut murmuraturi de te sint isti nundinatores humanorum e religione quæstuum, ubi tuam suæ cupiditati minus quam vellent morigeram ulcisci constantiam incusando conabuntur. Contra fac sentiant nulla te judicii eorum verecundia teneri, nullo

respectu offensionis angi vel minimum. Nec committas ut teneritudinem in te ullam formidinemque susurrorum introspiciant; nam hoc quidem te a mundo haud satis alienum demonstraret, quasi deliberabundum eine, an Christo, cui sacramento dixisti, placere ac probari potius censeas, quod transfugii sit instar a sacra militia, et flagitiosa defectio a proposito perfectionis irrevocabiliter sectandæ.

In cura alumnorum seminarii, quod constat e filiis indigenarum et orphanis, summam adhibe diligentiam, ne quidquam ipsis ad victum vestitumque, ad medicamenta cum morbis tentantur, desit. Provide vel in primis sollicite ut assidue accurateque erudiantur, cum in christianæ legis elementis tum in litteris, pro cujusque captu. Cogita hoc spectasse illos qui hoc collegium regis censibus fundarunt, hoc ipsum deinde regem sæpius efficacissime mandasse, ut in Goano seminario indigenæ pueri bonis moribus et bonis artibus inbuerentur. Isti officio in te deonerato ne ulla in parte desis, prospice. Veteres circa hæc querelas nosti; ne te ac Societatem invidiæ simili objicias, omni contentione devita.

Quoties naves in Lusitaniam cursum intendent, dabis litteras ad regem breves et accuratione peculiari scriptas, quibus ei compendio indices fructum animarum, qui et Goæ et locis cæteris per Indiam ministerio Sociorum legitur. Ad hoc mature congregabis narrationes eorum quæ alibi geruntur, ex quibus decerpens præcipua, scriptum

concinnabis quod cum voluptate speres a rege et regni proceribus legendum. Aliis deinde litteris rem hujus collegii familiarem ejus Majestati commendabis, quantum illi desit, ut possit par esse ferendis oneribus quibus subjacet, exponens. Commemorabis quid certorum quotannis censuum colligat, quid extraordinarii donativi, quando acceperit.

Hoc distincte declarari expedit, idcirco quod intelligo decernere subinde regem, ut quædam extra ordinem provenientes pecuniæ a fiscalibus Goano collegio tribuantur; in quo an regiæ semper liberalitati fidelitas ejus ministrorum exacte respondeat, nescio. Edoctus rex quantum acceperis, si quid minus quam jusserat numeratum viderit, refundi videlicet curabit. Adjunges de Patribus, qui ex hoc collegio evangelizandi gratia in loca varia mittuntur, eos plerumque, ubi quo destinantur pervenerint, gravibus illic ab rerum necessariarum inopia difficultatibus impediri ne recte officio fungantur. Quare suggeres dignum videri cætera religione ac munificentia Majestatis ejus, mitti huc diploma rite obsignatum, quo præcipiatur ut quibus in arcibus Lusitanis stationes Patrum Societatis sunt, earum ex ærario et apothecis regiis necessaria illis cum alimenta tum cætera subsidia suggerantur.

Aliud præterea diploma expediri mandet, quo proprie injungatur præfecto Malacensi, ut in Japonia degentibus Patribus pecuniam e fisco submittat, unde illic tolerare vitam possint; quoniam

ab indigenis nihil aut parum exspectari talis auxilii queat, propter terræ sterilitatem, et ex ea paupertatem incolarum.

Eadem ista tria capita vectigalium collegii Goani, curæ Patrum in arcibus degentium, et Japoniensis stationis sustentandæ, commendabis enixe propriis litteris Patri Magistro Simoni, aut Ulyssiponensis collegii rectori, ut ea viva voce ac præsentibus officiis efficacissime promoveant apud regem.

Iterum autem moneo ut memineris quas præsertim ad regem dabis litteras, circumspecte ac meditato scribere; videbuntur enim et judicabuntur a plurimis. Vale.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XXIII.

Eidem.

De Antonio Gomezio et Andrea Carvallio.

HÆC tibi circa duos e nostris, ut, me profecto, exequaris, mando in virtute sanctæ obedientiæ.

Si Antonius Gomezius toto hoc anno digressus e Diensi ubi degit statione fuerit, ut alio quocumque prætextu aut eventu se conferat, resignabis hanc primam chartam, et quod in ea præscribo facies, exemplum ejusdem mei scripti mittens ad eumdem Antonium Gomezium, autographo penes te retento, et per inscriptas eidem tuas significans quæ jubeo in charta memorata, quam obsignatam relinquo.

Postquam naves ituræ in Lusitaniam vela in altum dederint, etiamsi eatenus Antonius Gomezius in statione Diensi quietus permanserit, aperies secundam chartam quam sigillo munitam hic linquo, et hujus similiter apographum ad illum mittes; archetypum vero ostendes domino episcopo, et eum rogabis ut rite testari ne gravetur congruere per omnia cum autographo exemplum. Cum hac domini episcopi fide, chartæ meæ apographum Gomezio mittes, rogans simul dominum episcopum ut ei deinceps tanquam sibi subdito scribat, et pro potestate imperet quo ire quidve agere ipsum velit; melius tamen esset, meo judicio, sinere ipsum hærere in urbe Diensi.

Si Andreas Carvallius, quem justis de causis redire in Lusitaniam jussi, data opera omiserit occurrere ad tempus, navesque sine se siverit abire, statim eum e Societate dimittas jubeo; nec ulla ratione patiare (nam hoc ego plane veto) promoveri ad sacros Ordines diaconatus et sacerdotii in India, quantumvis dominus episcopus proficisceretur hoc anno Cocinum. Quod si idem

Andreas Carvallius, contra quam illi mandavi Goam veniat, ne illum in collegium admittas, quippe non amplius nostrum. Nam hunc, si adversus præscriptum meum hoc anno huc veniat, jam nunc e Societate amandatum volo. Id tu illi rite significabis, et suas sibi res jubebis habere. Simul dominum episcopum meo nomine etiam atque etiam orabis, ne illum diaconatu aut sacerdotio initiet.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XXIV.

Eidem.

Longe posterior sit cura ædificiorum, quam spiritalium Dei templorum; prior autem inopiæ domesticæ levandæ, quam alienæ; æs alienum solvendum. Nonnulli ministeriis humilibus et asceticis meditationibus exercendi.

CIRCA curam rei familiaris hujus tibi commissæ domus, hæc tibi seorsum et distinctius putavi commendanda.

Chartas et tabulas authenticas, quibus fundus et quasi patrimonium hujus collegii continetur,

puta, diplomata domini nostri regis, per quæ attribuit huic collegio vectigalia pagodibus erepta, donationes et assignationes cæteras litteris ejus rite consignatis expressas, et a prætoribus qui ante hunc fuerunt agnitas et confirmatas, ea, inquam, scripta omnia et monumenta archetypa sedulo colliges, et in unum congregata penes te habebis.

In agendo cum externo procuratore domus, et cum Cosmo Agnezio, qui omnium ad collegii census spectantium et magnam potestatem propter auctoritatem magistratus, et peritiam habet plurimam, eum familiaritatis in colloquiorum frequentia et cæterorum diligentia officiorum adhibebis modum, quem collegii rationes postulant. Tractabis igitur cum iis quamdiu et quam intime opus fuerit, ad efficaciter stabilienda quæ nutant, et parum certi proventus usu deprehenduntur, vectigalia collegii. Nam annuorum redituum, qui olim pagodum sacrificulis addicti, evangelicis operariis alendis attributi modo sunt, magna pars non solvitur, iis qui debent contumaciter negantibus; in aliis quoque non paucis jura minime dubia collegii per vim iniquam et recusationem satisfaciendi fiunt irrita. Quare insta et satage apud istos, ut certi contra hæc remedii quidpiam expediatur.

Mihi videbatur utile (vos expendite utrum ita sit,) intentari publice formula solita minas anathematis, impetratis ad hoc litteris a magistratu ecclesiastico, in eos omnes qui census huic col-

legio debitos solvere detrectant, aut quoquomodo bona ejus detinent, in rem deducendas, nisi spatio præscripto quæ mala fide possident restituerint, et suas conscientias exoneraverint, præda injuste quæsita legitimis dominis reddenda. Hæc tamen et ejus generis quædam in vulgus odiosa, puta, cum prehendi oportet atque in carcerem condi redemptores vectigalium negligentes in repræsentanda pensione, per externos administrentur; sic enim fient cum minori Societatis invidia.

Pecunia universa et totum ærarium domesticum in manu et sub clave tua esto; tu solus inferas, tu promas; te dispensante ac ministris tradente, sumptus fiant in usus quos judicaveris vere necessarios, cum Fratrum nostrorum tum alumnorum, ac præterea operariorum Evangelii peregre rem christianam curantium. Hi miseri magnis plerumque premuntur angustiis, ex defectu earum rerum sine quibus tolerari vita nequit; et, quod caput est, absistere a cœptis præclaris compelluntur, ingenti animarum quas curabant detrimento, ubi diu frustra exspectaverint promissa subsidia, ineluctabili necessitati succumbentes. Præverte, oro te, æqua et sapienti distributione proventuum collegii, ex quibus primum, ut par est, consules domesticis, nostris et externis; deinde submittes ad Socios qui apud Comorini Promontorium et insulas Mauricas extrema inopia laborant, item in Molucis et in Japonia degentes, unde adjuventur ad victum miserum parandum;

quo si careant auxilio, magna opera infecta dimittere et spes ingentes corrumpere, gravi regni Dei incommodo, cogentur.

Hos nominavi qui extra Lusitanorum arces inter indigenas vivunt, quod eorum durior hoc in genere sors est. Stationem qui habent in regis præsidiis, aut alioqui in locis ubi concursus et coloniæ frequentes Europæorum sunt, inopia tabescere, et a cœpto juvandarum animarum cibi defectu absistere non sinentur: id quod facile illis eveniet peregre inter alieni generis homines, partim infestos, partim egenos, fame perituris, nisi a suis procul missum demensum accipiant.

Ante omnia magnopere volo a te sollicite curari, ut æs alienum a collegio contractum dissolvatur; nam detineri rem alienam ab eo qui potest reddere, nefas est, ad Dei offensam et maculam animi pertinens, ac præterea justam populo præbens offensionis causam. Quare iterum etiam atque etiam inculco, cave id negligas, quin omnem conatum et contentionem adhibe, ut nulla tam justo et instanti officio mora interponatur.

Hoc ut facere possis, ædificia ne inceptes nova, nec absolvas inchoata. Etsi enim anguste habitamus, tamen id quod magis urget prævertendum est. Persolutis debitis, tum sane sensim attollere structuras et perducere ad fastigium licebit.

In universum autem vide, ut longe posterior tibi cura sit ædificiorum quæ lapide ac cæmento congeruntur, quam spiritualium Dei templorum. Hi sunt Socii et alumni tuæ fidei commissi, in

quos alendos, fovendos, in primis vero ad profectum virtutis excitandos, primarium tuum evigilare studium par est.

Sunt tamen (scio) ædificia quæ differri nequeunt, puta maceriæ circumdantis hortum domesticum, et obstructio aditus ædium, si quis uspiam præter ostium patet; nam septis et firmis et nuspiam hiantibus muniri undique religiosam domum, disciplinæ ac famæ sic interest, ut nulla sit talis operæ legitima dilatio. Talia ergo utique quocumque sumptu statim expedi.

Deinceps opus habeo præmunire te adversus teneritudinem animi, aut verecundiam negandi quamdam, qua te forte constrictum reperies, quando te (quod non deerit) flagitabunt externi egentes multi, ut ipsis e collegii ære largiaris; aut redemptores vectigalium remitti partem pensionis, allegantes multa et obtendentes inopiam domesticam, rogabunt. Nec deerunt qui ad te aures confitentibus præbentem accedentes, narrabunt angustias familiæ famemque suam ac suorum, obsecrantes ut dones quo egent.

His et ego compatior; sed emolliri talibus ultra quam fas est et Deus sinit veto; nam ex alieno largiri furtum est. Ut ergo ista cum audies, invidiam duritiei conferre in me possis; en tibi manus adstringo, ac conceptis verbis pro potestate impero, tu cunctis istiusmodi flagitatoribus dicas ære alieno prægravatam domum hanc, vix habere unde victui quotidiano Sociorum et puerorum seminarii suppeditet; tamen aliis eamdem

oneribus urgeri, sustentandorum Patrum qui peregre Evangelium prædicant, nosocomii publici instruendi, multisque similibus: quas ob causas me tibi, præcepto ex obedientia imposito, quale sine Dei offensa transgredi nequeas, mandasse ne ex collegii censibus quidquam ulli dones, quoniam quidquid inde subtrahatur defuturum omnino sit domesticorum necessitatibus, quibus explendis quantum annuorum percipitur fructuum impar est.

Cæterum ab hoc quæstuoso genere pœnitentium cibum corporis, non animæ remedium e confessionis sacramento, captantium, plurimum tibi caveas, et paucis ac præcisis te quam primum verbis expedias, suadeo. Acrior istis multo fortunæ quam conscientiæ vulnerum sensus est; nil nisi terrena sapiunt, toti sunt in spe stipis eblandiendæ; quidquid illis ad animi profectum disserueris, surdis cecineris. Te ipsum, nisi excutis, implicent et avocent a potioribus.

Multi patresfamilias Lusitani postulant dari sibi agros collegii in feudum. An hoc sit e re collegii dubito; et vereor, si hæc exempla frequententur, ne grave aliquando huic familiæ detrimentum afferant. Tu sedulo rem discute; et cum procuratore et amicis domus maturo habito consilio, statue quid circa hoc factu optimum sit.

Debet aliqua hoc collegium, debentur et illi multa. Ergo ut callere ad unguem te volo quorum et quanto in ære sis, sic et sedulo exquirere quantum et penes quos resideat æs tuum; utriusque generis tabulas diligenter confice. Quam-

quam patiar equidem te minus sollicitum in computando quid ab aliis exigendi jus habeas, quam in recognoscendo et quamprimum exsolvere conando quod jure suo alii a te repetunt. Satagas in hoc, et contentione summa certes censeo.

Idque ipsum potissimum alleges iis qui donari sibi poscunt: debere te, et quantocius dispungere nomina studere; quare in hoc conferre quidquid inevitabilibus expensis tam numerosæ familiæ superest, nec quidquam esse inde, quod possis arbitratu tuo tribuere quibus bene vis, et quorum inopiæ condoles: cum omnia exhauriant, ac nec sic quidem satis habeant alimenta, vestitus, remedia Sociorum domesticorum et peregrinantium, puerorum seminarii, ægrorum nosocomii, præter fabricas urgentissimæ necessitatis, et alia non pauca. Nec speciosus hic sit obtentus et quæsita excusatio; sed revera ita facias, diu noctuque invigilans in suffurando sumptibus quotidianarum necessitatum, quantum omnino potes, ad reddendum quibus es obnoxius. Experientia utare censeo œconomiæ magistra, ut quod usu didiceris juvisse, frequentes studiose: quod nocuisse aut parum profuisse deprehenderis, vites sedulo.

Acriter prius explora quibus confidere aliquid paras; rari enim reperiuntur fideles dispensatores. Elige hos, quantum potes, e numero eorum qui tibi solent aperire confitendo conscientiam saltem semel in mense, ac toties sacram Eucharistiam reverenter sumunt.

Cupio ut magna pars argumenti litterarum, quas

ad me Malacam Septembri dabis per Franciscum illic Perezium curandas, sint capita hæc duo, prius, quantum vobis, alterum, quantum a vobis debeatur. Addes eodem de cætero cursu domesticarum rerum, de fructu operæ a te et aliis impensæ; ecquid et quatenus Goani cives ex concionibus aliisque sacris ministeriis proficiant; quid novi nuntietur e regno, quid successerit circa negotium pacis ac belli; de Patribus peregre degentibus. Scribe de cunctis fuse ac distincte, amanuensem adhibens bonæ manus ac lectu facilis.

Redemptorem vectigalium elige locupletem et honestum mercatorem, fere aliquem ex urbanis noti splendoris; non pauperem, ne ad lites veniendum sit.

Vide annon sit compendiosius emere duos, quos domi teneas lotores pannorum, quam dare lineam vestem domestici usus externis fulloniam factitantibus mundandam. Præterea ecquid præstet alere Fratrem e nostris horto domestico præfectum, et culturæ olerum peritum, quam externo ad hoc uti artifice; nam video multum expendi in victum et mercedem tum hortulani, tum Æthiopum ipsi servientium. Posset ea cura demandari cuidam e nostris adjutoribus, adjunctis ei mancipiis duobus ad hoc ipsum emptis.

In his et aliis id genus exquire attente quid factu sit optimum, cum per te investigans, tum adhibens in consilium externos peritos talium, Deum timentes et huic collegio benevolos.

Alvaro Alfonso remissi sunt ex pensione ab

ipso debita *pardai* quingenti; tanto æquius exiges ab eo ut mature solvat quingentos alios quos debet. Cave profusus ex alieno velis esse; memento famis et egestatis Fratrum nostrorum pondus diei et æstus in stationibus huic domo contributis magno suo sudore portantium; recordare illorum qui in Japone, qui in Molucis, qui in Comorini Promontorio graves ærumnas sine solatio perferunt.

Choranum mittas censeo singulis dominicis dominum Augustinum sacerdotem externum, idonea ei mercede constituta. Non probo ibi residere unum e nostris Fratribus; ergo illum qui jam illic est, domum revoca.

Ex iis qui domum admittentur, dabis operam ut tempore primæ probationis rescias quam vitæ sectam in sæculo tenuerint, quam artem exercuerint, aut calleant, quo nimirum intelligatur quæ pars domesticæ procurationis, quæve officia vel ministeria recte illis mandari valeant.

Michaelem Moralem jubebis aliquoties apud templum episcopale ad populum dicere, admonens prius illum et præparans, ut id tali loco prout par est faciat. Et possetis, si tibi videretur, alternis id tu et ille facere, sua cuique hebdomade tributa; statue, circumspectis cunctis, quid videatur optimum.

Cave obliviscaris quod tibi mandavi de Balthasare Nunnezio; quin id, quoniam magni momenti judico, tibi in virtute sanctæ obedientiæ mando ut plane totum exequaris, obire illum

asceticas exercitationes jubens, et eum ministeriis humilibus domi, non foris, applicans.

Japonas qui hic sunt, impense commendatos velim habeas, et tuto ac commode ut in Lusitaniam navigent cures.

Puto e re fore, si exerceantur a te meditationibus asceticis Fratres qui ad Societatem probantur, et ex iis isto modo intime perspectis quos idoneos repereris retineas, quos ineptos deprehenderis dimittas. Cave autem adducaris unquam cujusquam precibus et quantovis multorum ambitu, ad quemquam in Societatem admittendum non instructum necessariis ad eam juvandam dotibus.

Chorani insularis prædii, rusticorumque ac operarum illic degentium curam per idoneos habe quantam res exigit; non enim per te nec per quemquam nostrorum potes; dixi jam eo mittendum singulis dominicis dominum Augustinum. Cætera item quæ opus ad hoc erunt, delectis quibus recte fidas administra.

Franciscum Lopezium simul huc advenerit vacare jubebis commentationibus asceticis, generalem ejus confessionem audies, ministerio culinæ aut id genus humilibus obsequiis addices.

Matthæo sex et triginta *pardaos* quos mutuo dedit in Japonia, statim ac repetet, persolves.

Alvaro Alfonso præfiges solutionis non diffundendam amplius diem post Pascha.

FRANCISCUS.

Patres et Fratres Societatis ubicumque sint per Indiam, nec ad regem nec ad quemvis externum in Lusitaniam scribant, nisi missis huc apertis litteris; quæ in hoc collegio referentur vel in fasciculum inscriptum regi, vel in alium cui nomen præfigetur aut Patris Magistri Simonis, aut rectoris Sancti Antonii Ulyssipone.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XXV.

Eidem.

In summam alias dicta colligit de forma regiminis, delectu candidatorum, delectorum probationibus, de sacerdotio initiandis, de externis et nostris idoneo discrimine juvandis. In sacro tribunali solerter introspiciendum quo quisque veniat animo.

HÆC quoque in ultimo procinctu longæ ac dubiæ navigationis, dum nunquam satis præmunivisse te, mi Gaspar, videor, iterans et in summam dicta colligens replico, quæ tu sollicitudini præ amore nimiæ ignoscens, tam sæpe inculcari boni consule.

Ante omnia tui memento, animæ tuæ prospice; scis enim quam vere scriptum sit: *Qui sibi nequam, cui bonus?* [1]

Patribus et Fratribus tibi subditis semper exhibe sinceram charitatem et amabilem modestiam; asperitatem et rigorem amove, nisi si quos senseris benignitate abuti tua. His ad profectum duntaxat ipsorum, non ad ultionem tuam, severitatis aculeum quemdam exere, præsertim si opinione sui in superbiam tumere videantur; quorum fastum comprimi et ipsorum et publice interest. Alioqui per ignorantiam aut fragilitatem errantibus, cum fructu eorum et sine detrimento disciplinæ interdum ignoveris. Arrogantibus indulgentia venenum est; mirabiliter insolescunt et omnia perturbant, si rectorem languidum et obstare metuentem invenerint.

Multitudo admissorum sine delectu non subsidium Societati, sed impedimentum est. Pauci, sed strenui, sed dotibus animi et corporis præditi maximis, instar innumerabilium illi sunt. Tu vide ne gravare ipsam turba malis, quam vero robore supplementi lectissimi firmare. Admissos in vera sui abnegatione, mortificatione intima pravorum affectuum, indesinenter exerce; admove quin etiam ministeriis humilibus externis, mendicandi ostiatim pro pauperibus, inserviendi decumbentibus in nosocomio publico, et quæ sunt ejus generis vulgo probata.

---

1. Eccli. XIV, 5.

Gestu aut veste insaniæ speciem habentibus, spectaculum eos multitudini præbere, me auctore, ne jusseris. Talia enim et multis qui vident admirationem offensioni affinem, et ipsis qui se sic ludibrio propinaverint gloriolæ titillationem, quasi heroicum quippiam fecerint, non raro commovent. Illud sane utilitatis compertæ frequentare ipsos cura: fateri coram Fratribus quæ in demandato ipsis officio peccaverint, pœnasque eo nomine injunctas luere. His salubriter demittitur animus, acuitur industria.

Cuncta porro ista ex ante sumpta cujusque status ac virium notitia administranda sunt; non enim æque omnibus apta sunt omnia: quo quis juvabitur, idem alteri nocuerit. Prudentiæ moderatoris est cuique consentanea præscribere.

Initiari sacerdotio neminem Sociorum sinas nisi scientia egregie ornatum, et virtute multis annis probata insignem. Sine hac observatione promoti nunquam instituto Societatis, exspectationi hominum, satisfacient; utinam minus multa exstarent experimenta incommodorum ex hujus ortorum neglectu cautionis.

Et externis et nostris vacare juvandis debes, sed cum idoneo discrimine, nempe ut memineris te domesticis debita reddere, alienis gratuita largiri. Ordo autem rectus est prius justitiæ satisfacere, deinde in liberalitatem effluere. Nostrorum a te rationem Deus exiget, quos commisit tibi. Alienis quod benefeceris, auctarium officii est, tunc solum ad laudem pertinens, si a plane

perfuncto cura necessaria supererogetur. Flagitium est, neglecto principali, diligentiam in accessorio consumere; ut qui turpis intus, superficie honesta probari hominibus satis habet, iram in se Dei concitat, sic qui domi deses in civitate se strenuum ostentat, ambitione ruens præpostera, quo currit effusius hoc errat largius. Id metuens, primo quod prius, secundo quod secundarium, cura.

Modus juvandi proximos, quo universalior hoc melior. Itaque concionari, christianæ religionis elementa palam tradere, in sacro tribunali aures dare confitentibus, officia tibi sunto potissima.

In confessione introspice solerter quo quique animo ad te veniant; nam sunt qui quæstum fuco religionis exerceant, sub obtentu quærendi animorum remedia, corporum alimenta nundinantes. Fere comperi hoc genus hominum hebetissimum ad sensum spiritualium malorum; effundas in ventos quæ de animi cultu, et spe vitæ sempiternæ talibus dixeris: obnixi hærent terræ, quam solam sapiunt. Tu hos cito dimitte; nec te angat quod de te queritentur, aut speres occurrere vos invicem posse, cum altrinsecus in diversa nitamini: de mundo illi, tu de Christi regno es. Pudeat Christi militem vereri susurros vulgi profani, et ullo respectu tangi judicii eorum qui terrena cœlestibus præhabent.

Deum sequere cui sacramento dixisti, securus quid contra te murmurent alienarum homines partium. Imo sollicitus ne quam in te illi sua-

rum obtrectationum formidinem observent, erecta fronte præ te fer eorum te, ut non curas laudes, ita et vituperia contemnere.

EPISTOLA XXVI.

Eidem.

De juvandis Sociis Comorinensibus, et Colanensi collegio, ac de modo redituum exigendorum; crediti debitique rationes comparandæ. P. Antonio Herediæ Cocini subveniendum; aliquis in Japoniam mittendus; Sociorum delectus, ac delectorum probationes. De Nunnezio, Francisco Lopez, Cypriano, Ludovico Borallio, Antonio Heredia aliisque Sociis; denique de conscribendis litteris.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Ex quo perveni Cocinum, multas accepi litteras Colano, et e Promontorio Comorinensi: nulla non earum nuntiat gravia incommoda ex defectu subsidiorum necessariorum et corporibus et animis, quibus nostri conflictantur qui locis illis religionem procurant.

Ex ora Comorinensi scribitur diem illic obiisse Patrem Paulum, virum magnæ perfectionis ac virtutis; superesse solum Patrem Henriquem Henriquez, nec alium reperiri e nostra Societate sacerdotem in toto illo tractu. Quare is enixe petit ut sibi socius mittatur, a quo juvari queat in administratione sacramentorum, cui, pro numero Christianorum et distantia locorum, defungendæ quantum sit satis, haud unus ipse potest par esse.

Vide an istinc possis extricare Patrem Antonium Vazium, et cum eo Fratrem Antonium Diazium, quos, transacta hyeme, in oram Comorinensem destinares tanta tam misere operariorum inopia laborantem. Sin tibi vel minus ad hoc aptus, vel magis ubi est necessarius videretur Antonius Vazius, cogita de Francisco Lopez, quem nuper Bazainum miseram. Equidem, quod nunc succurrit animo, alterum horum magnopere gauderem in Comorinum mitti cum Antonio Diazio, vel alio adjutore probatissimæ virtutis, quem tuto possis ad talem eunti provinciam sacerdoti comitem adjungere. Per quantum Deum amas, oro te, adhibe omnem in hoc negotio curam, res enim est momenti non vulgaris.

Pater Nicolaus multis difficultatibus urgetur Colani, et magna premitur inopia, non habens unde alat quinquaginta convictores ex indigenarum pueris et duos tresve insuper filios Lusitanorum; cum præsertim ad eum curandi subinde alumni transmittantur, quotquot per oram Co-

morinensem in morbum incidunt, et illud Colanense collegium per sane tenuiter instructum sit a censu annuo. Quare Pater Nicolaus suo jure postulat aliquod præsens subsidium e regiis pensionibus olim debitis collegio nec suo tempore solutis; nam illæ vix unquam integræ annis propriis penduntur.

Age, oro te, cum domino prætore, ut quoniam id quod rex illi domui constituit plene numeratum non est, residuum nunc istud decursorum fructuum ei tempore tam necessario repræsentetur; ac si ei videatur, mandatum regium expediat præfecto Colanensi statim collegio suppeditandi saltem centum *pardaos*, quibus ruinæ domus illius miseræ utcumque in præsens sustententur.

Per Dei Domini nostri amorem te obsecro, da efficacem operam ut, prima post hyemem tempestivitate navigandi, solvat Comorinum versus unus Societatis sacerdos cum laico adjutore, juxta prius dicta, qui Colano transeuntes, vi diplomatis regii quod ferent, memoratam pecuniæ summam a præfecto receptam Patri Nicolao tradant.

Ini summam eorum quæ a rege Goano collegio debentur; et satage apud ministros regios, maxime prætorem, ut litteræ ac diplomata expediantur, quæ ad solutionem integram eorum efficaciter urgendam videantur suffectura. Idem simul age pro domo Armuziana et Bazainensi collegio.

Ac vide ne molliter aut obnoxie negotia hæc tractes; fortiter, ac pene præfracte transigi debent res istiusmodi; dura nimirum est tota ista

natio quæstorum, publicanorum, quocumque nomine pecuniam regiam dispensantium. Quantumlibet æquas, si lenes et verecundæ sint, postulationes eludunt; nec nisi quod extorquetur laxant. Fronte non tenera, ore libero adeundi alloquendique sunt; nec facile moræ indulgendæ, quarum illi et artes in infinitum extrahendarum callere se quæstuosissimas, gloriari etiam inter suos solent. Quare ubi modeste agere prævaricari est, importune improbeque flagitetur; ac quoad expugnetur ut verba in effectum præsentem transeant, ne recusaveris pene ad jurgium et dissidium usque descendere. Aliter vix unquam vitabitur quin quæ rex pie decrevit in usus Religionis necessarios de suo impendi, per ejus ministros avare et nefarie intervertantur, perniciosissimo et irreparabili rei ecclesiasticæ et salutis animarum detrimento. Ergo quamcumque honestam puta rerum tam insignis momenti expediendarum rationem.

Æs alienum istius domus ut quamprimum dissolvas, omni contentione satage. Ac vellem elenchum summamque exactam debitorum collegii Goani litteris iis insereres, quas ad me Septembri proximo per naves tunc soluturas Malacam destinabis. Quin cuperem te quoties ad me scribes, commemorare quantum a vobis, quantum vobis debeatur; utrumque simul nosse juverit, et crediti debitique comparare rationes.

Cum census debiti collegio a redemptoribus aut quibuscumque debentibus recipientur, cave

stulta et injusta misericordia iis indulgeas ut partem subtrahant, quod annis præteritis evenisse non semel scimus, flagitiosissima negligentia: ex qua scilicet consecutum est ut in Promontorio Comorinensi, Colani, et Cocini multa pia opera, ad magnum fructum animarum instituta, et si continuarentur profectura, omitterentur, defectu subsidii Goa illic exspectati, quod, propter istas intempestivas remissiones exigentium vectigalia collegii Goani, ex quo illæ aliæ sedes pendent, suppeditari nequiret. Quocirca tum tu per te invigila, tum omni ratione cura ut procurator collegii minime dissolute se gerat in repetendis integre debitis, damno suæ conscientiæ divinique obsequii avaritiæ hominum gratificans.

Patri Antonio Herediæ necessario subveniendum est. Hyeme transacta, quæ prima se dederit occasio, fac ei Cocinum recte cures subsidium ducentorum quinquaginta vel trecentorum *pardaorum*. Ea summa præsenti summe indiget ad perficiendum ædium septum, et quædam alia urgentissimæ necessitatis, ac sine quibus familia illic teneri nequit aut omnino habitari, absolvenda. Miserrime quippe hactenus, atque adeo intolerabiliter incommode diversantur nostri externique domestici.

Ne vero hæc legens arbitreris me, dum Colanensi collegio consulo, Goani angustiarum oblitum; memini, ne dubita, et sciens recolo; sed comparatis omnibus, tamen judico plane oportere extreme laborantibus succurri Fratribus. Idcirco

numerum pecuniæ in expressam a me contraxi summam, qua illi longe majore indigerent; sed contemperanda invicem incommoda sunt. Tu quod ex æquo et bono poteris, consultrice adhibita prudenti charitate, primum tuis istic convictoribus tam Lusitanis quam indigenis necessaria provide; deinde curam in Cocinenses, Colanenses, Comorinenses extende.

Subducas ad exactum velim quantum Alvarus Alfonsus isti collegio debeat. Vide etiam quantum illi remiserint annis retro elapsis præpostere benigni collectores vectigalium collegii; quam tuta conscientia, ipsi viderint. Æstuarem equidem, si repetendam a me crederem, ut certo ab illis repetetur, rationem istius inconsultæ indulgentiæ, ex qua contigit incredibiliter destitui ope ad promovendum Dei regnum necessaria in ora Comorinensi, Colani et Cocini, operarios evangelicos. Igitur effice ut quantum omnino debet, persolvat in solidum, sic habiturus unde tuæ primum isti domui, tum ejus appendicibus quas modo nominavi stationibus consulas.

Quam ad rem divini obsequii necessarium sit temporalia non negligere, habes exemplum in hoc meo itinere tanti ad Dei gloriam momenti, quod quomodo suscipere potuissem, nisi tu diligentem operam navasses in colligenda Armuziensi eleemosyna, quæ mihi hoc in cursu puppim et proram facit? Quid foret si tu in hoc cessasses? Nempe cogebamur omittere omnia, et tantam occasionem propagandi Dei regni nequidquam

oblatam præterlabi sinere? at quando redituram? Sed hæc hactenus.

Si e Lusitania Patres hoc anno aliqui istuc appellant, memento, conatu omni ad perrumpenda obstacula adhibito, efficere ut eorum saltem unus anno proximo in Japoniam naviget, futurus ibi socius Patris Cosmi Turriani, prout ea de re tibi reliqui scriptum mandatum, cujus modo refrico memoriam. Ei Patri adjungas velim laicum adjutorem e Societate comitem, et cures ut satis copioso uterque viatico instruatur. Oportet enim post viæ sumptus superesse ipsis unde victum comparent in Japonia, terra laborum et spiritualium fructuum nobis feraci, pecuniæ ac commeatuum sterili. Atque hoc totum fac, si me amas, ut tibi etiam atque etiam cordi sit; nam majorem in modum cupio, quia id expedire in primis judico adjungi quamprimum Cosmo Turriano alium e Societate sacerdotem.

Ac si nos ista quam indicavi spes e Lusitania deficeret, nemine ad id apto Patre nostro in navibus proxime appulsuris veniente, vide, obsecro te, ecquid ratione alia confici negotium hoc posset: uti si se tibi offerret ad ineundam Societatem aliquis vel jam sacerdos, vel aptus ad sacerdotium quo eum initiari facile curares, quem satis, contracto pro temporis angustiis tyrocinio, probatum tibi videreris posse illuc destinare. Tali, si quem repereris, aut alteri ex prius indicatis, ne copia transmittendi Malaca in Japonem desit, ego in transitu providebo, rogans præfectum

Malacensem, ut si Aprili proximo quisquam e Societate Japonem cogitans Goa solveret, ei ne gravetur commodare favorem suum ad istum trajectum.

In deliberatione de iis admittendis qui Societati dare nomen cupiunt, diligenter inspice quibus illi animi et corporis sint præditi dotibus; nec committas unquam ut personis domi et foris inutilibus Societatem oneres. Quos vero jam ad experimenta recepisti, eos si explorans attente deprehenderis vel animi virtute vel valetudine destitui quantis esset opus, ut ex iis sperare auxilium aliquod Societas posset, mature ad suos remitte.

Qui a te istic exercentur domesticis ministeriis ejusmodi, quæ tractationem cum externis et liberam ultro citroque commeationem requirunt, puta obsonatoris, dispensatoris et similibus, in eos acriter invigila, omni cura explorans tum quæ de se exempla præbeant sobrietatis, continentiæ, modestiæ; tum qua fide res pecuniasque creditas tractent, expeditasne semper et liquidas rationes referant accepti et expensi. Non enim scilicet te fugit, quam lubrica istiusmodi negotiorum procuratio sit, quamque imprudenter committatur hominibus non subnixis eximia temperantia, fidelitate, sanctimonia, quæ et tutos illos, et nos securos præstent ab omni periculo lapsus eorum, summo dedecori Societatis, et gravi offensioni proximorum inseparabiliter conjuncto.

Melchiorem Nunnezium, et laicum adjutorem qui cum Melchiore Gonzalez Bazaino istuc venit,

cura diu multumque exercitari humilibus ministeriis usus domestici, videlicet coquinæ, aliisque id genus, nec eos prodire domo sinas. Ac si inter istas probationes animadverteris haud esse hos ad institutum Societatis accommodatos, dimitte illos et suas sibi res habere jube. Franciscus Lopez ubi Bazaino redierit, asceticis commentationibus per otium exercendus est; ad hæc infimis servitii familiaris officiis terendus.

Ac vide ut in horum trium emendationem atque in spiritu profectum cura vigiliaque peculiari immineas; non hoc de nihilo præcipio, causam utique habens verendi ut tales sint quales cuperem, e ad Dei gloriam perfectionemque ipsorum expediret.

Sed et in cunctos quoque cæteros exacta ad cujusque statum mensura sollicitudinis excuba, intentus semper ad eos præmuniendos, excitandos, promovendos.

Quando, prout mandavi superius, sacerdotem Societatis cum laico adjutore mittes in Promontorium Comorini, dabis iis illuc deferendum alterum e duobus quos vobis reliqui calicibus sacris. Causa sic jubendi mihi est, quod memini ante hos annos aliquot quemquam Comorinensis tractus Christianum misisse Goam pecuniam, ex qua sacer calix compararetur. Eam pecuniam collegii curatores tunc acceptam in domesticos usus expenderunt, calicem hactenus non miserunt; mittatur ergo jam, et nomen istud expungatur. Alium ex relictis calicem dare poteris anno sequenti

Patri profecturo in Japoniam, ibi enim unicus tantum est calix.

Quando ad me scribes Malacam, cave operæ parcas aut chartæ, neve defungi compendio festines; fuse ac singillatim cuncta exequere, magnam enim constituo spem peculiaris mei gaudii ex istarum percipiendi lectione litterarum: quæ scilicet indicabunt quæ maxime volo de cunctis meis Fratribus, quique in isto collegio, quique in circumsitis stationibus Deo militant. Utere autem amanuensi qui bene litteras formet, et cujus scriptura facile legatur; inscribes fasciculum Francisco Perezio, Malacæ. Porro fac omnino ut mense Septembri litteras istas ad me destines, nave tunc solutura Bandam versus; Franciscus enim Perezius diligenter curabit ut ad me in Sinas perferantur.

Scribes ad Cyprianum nostrum Meliaporæ degentem in urbe sancti Thomæ, ut vivat concorditer cum omnibus, maxime autem cum proepiscopo et cunctis illic sacerdotibus. Atque huic homini sine fuco et ambagibus loquaris censeo, clare denuntians tibi a me scripto relictum in mandatis, ut eos qui se non præbuerint morigeros rectori collegii istius, e Societate dimitteres. Consequenter indica te nullo cujusquam respectu prohiberi posse ab exequendo quod tam graviter imperatum sit. Hoc illi profitere *ad terrorem*, quo sibi nimirum ille caveat, et ad se quoque pertingere vim minarum istiusmodi sentiat.

Stephanus Ludovicus Borrallius, in sacris Or-

dinibus progressus usque ad diaconatum, iturus istuc est. Hunc ego juvenem amo plurimum, quoniam de Dei favore spero fore illum Religiosum bonum; quidquid meo nomine petet a te, ipsi gratificare, alloquendo pro eo, quoties volet et opus erit, dominum episcopum. Nec sola spes quam dixi me illi conciliat; sed grati animi officium præterea me urget ad conatum rependendorum illi beneficiorum, quibus me sibi plurimis obstrinxit, inserviens semper in omnibus et benigne adjuvans, quoties ejus opem imploravi. Hoc meum debitum gratiæ illi referendæ in te nunc transfero, quo in exsolvendo, cave cesses aut langueas.

Deus Dominus noster faciat te sanctum et beatum. Vale.

Cocino VIII. Kal. Maias An. MDLII.

Pater Antonius Heredia habet hic librum sibi utilem, sed mihi magis necessarium illic quo propero futurum. *Constantinus* ei libro nomen est, quem auferre ab eo cogor ad Sinas navigans. Duo ejus istic exemplaria videre memini, unum penes Franciscum Lopez, aliud in manu Patris Manuelis de Morales; alterum horum velim quamprimum mittas Patri Antonio Herediæ, nam eo, ut indicavi, multum eget.

Age sedulo cum domino episcopo ut quemdam sacerdotem Malabarem, nomine Ferranum, citet ad se, ac pro imperio sub anathematis interminatione, dicta die sistere se Goæ coram ejus

tribunali jubeat. Impedit enim cursum Evangelii illic ubi est, Patribus qui negotium Religionis in ora Comorinensi promovent, palam adversarius et noxie infestus.

Totus tuus in Christo,

FRANCISCUS.

S. FRANCISCI XAVERII

EPISTOLARUM

LIBER NONUS.

EPISTOLA I.

Jacobo Pereriæ.

Peccatis suis adscribit impeditam ad Sinas legationem.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in animabus nostris. Amen.

QUONIAM meorum delictorum magnitudine factum est, ut nobis ambobus Deus ad Sinicam expeditionem uti noluerit, omnis culpa conferenda est in mea peccata; quæ quidem tanta ac tam gravia fuerunt, ut non mihi solum obfuerint, sed etiam tibi, itemque tuis negotiis ac pecuniis, quas in legationis apparatum contulisti.

Verumtamen Deus conscius est meæ erga se teque voluntatis; quæ nisi rectissima fuisset, nunc utique acerbiorem animo caperem dolorem. Ego

jam navim conscendam, ibi profectionis tempus exspectabo; ut scilicet oculos fugiam tuorum, qui ad me flentes identidem adeunt, seque impedita legatione perditos miserabiliter queruntur.

Deus ignoscat ei, qui tot tantorumque malorum causam sustinet.

Unum oro, ne me convenias, tuaque calamitate ac dolore mœrorem augeas meum. Quamquam confido id ipsum incommodum tibi emolumento futurum. Neque enim dubito, quin rex (uti ab eo per litteras petii) debita præmia sit persoluturus egregiæ tuæ erga Christi religionem voluntati.

Præfectum, quoniam nostrum iter tam appositum ad rei christianæ amplificationem impedire non dubitavit, valere jussi. Deus homini ignoscat! Equidem ejus vicem doleo; longe enim graviores pœnas daturus est, quam ipse umquam putarit.

Dominus noster tuæ salutis custos, idemque mei hujus conatus et dux sit et comes. Amen.

Ex ædibus nostris Malacensibus, tuam navim conscensurus, VII. Kal. Julias MDLII.

EPISTOLA II.

M. Gaspari Barzæo, rectori collegii Goani, Soc. Jesu.

De matrimonio Alvari Gentilis.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Magister Gaspar,

SCRIBO ad dominum episcopum de gravi negotio amici mihì carissimi, cui nomen est Alvarus Gentilis.

Ab hoc cum officii et salutis æternæ rationes flagitent ne differat amplius legitimum matrimonium cum muliere, ex qua illicito contubernio liberos suscepit, tamen is adhuc cunctatur, impulsuque novo indiget ut necessarium consilium expediat. Perspexi magna præoccupari ejus animum domini episcopi existimatione ac reverentia; nec dubito quin, si ad multas a me adductas ipsi rationes id agendi, precesque ingeminatas, tam venerabilis ipsi personæ auctoritas accesserit, statim incidat moras omnes, et quod Deus ab eo exigit, faciat.

Oro ergo te ut agas cum domino episcopo, ab eoque quod erit facile impetres: ne gravetur dare litteras ad Alvarum Gentilem, quibus ipsi

magnopere auctor sit atque adeo injungat, ut quod suo ipsius honori, officio, liberorum statui jampridem debet, sine mora exequatur, ducenda ecclesiastico ritu in conjugem matre suorum filiorum.

Et subesse aliquid suspicor, cur magis etiam necessaria sit ea, quam procurari a te postulo, domini episcopi ad Alvarum adhortatio, scilicet ex hujus ambiguis responsis circa rem ipsi manifeste utilem, in eam opinionem veni: cupere quidem ipsum hoc matrimonium perficere, sed retardari conscientia impedimenti cujuspiam canonici occulti, qualia multa novimus matrimonialibus clam intervenire causis. Quoniam autem si quid ejusmodi est, ille aperte non prodidit, subdivinavi ego nonnihil ex usu rerum talium, et suspicionem explicavi meam domino episcopo, ut ea ille notitia præmunitus, expeditiorem habeat facultatem medendi ægræ illi animæ, indulgenda videlicet, pro ea qua pollet in eo genere auctoritate, istius impedimenti gratia, et sic amoliendis cunctis obstaculis tam necessarii remedii.

Fac, amabo te, diligenter atque instanter hoc negotium urgeas apud dominum episcopum; adeoque Aprili proximo, quæ stata est tempestivitas solventium Goa Malacam navium, ne omittas eas scribere ad meum, de quo agitur, amicum Alvarum Gentilem, quid cum domino episcopo aut jam transegeris circa ejus causam ex iis quæ de illa didicisti, aut quid te confecturum speres circa impedimentum, si quod subsit, ubi te ipse de illo non gravatus fuerit docere.

In hunc modum esse opus existimo ire obviam cunctationi hominis occulta quadam remora hærentis; quam minus forte verebitur indicare, si spem feceris posse illum istis quibuscumque vinculis vi ecclesiasticæ potestatis expediri. Hoc totum tibi sic commendo, ut instantius et efficacius non possim.

Deus nos in sua Paradisi gloria conjungat. Vale.
Malaca III. Idus Julii Anno MDLII.

Totus in Christo tuus,

FRANCISCUS.

EPISTOLA III.

Eidem.

De debitis Petro a Sylva sine mora solvendis.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

SIC habe, Magister Gaspar, longe plus debere me domino Petro de Sylva, quam possim ei unquam quantolibet meo conatu exsolvere.

Etenim ille, quo tempore præfecturam gerebat arcis Malacensis, adeo mihi favit in omnibus quæ

ad Dei obsequium spectabant, ut ex quo in India sum, non meminerim ab ullo me homine tam benevole adjutum. Veneram Malacam transmissurus illinc in Japoniam. Dominus Petrus biduo summa diligentia paravit mihi navem ad eum cursum, qualis inveniri tunc optima potuit; nec poteram, ut tum res ibi erant, optare meliorem. Adjecit de suo munera pretio nummorum ducentorum propria pecunia coempta, quæ mihi donavit, ut his regi Japoniæ oblatis ejus favorem promulgationi legis Christi necessarium pararem.

Fecisset utinam Deus, ut hoc quoque anno idem dominus Petrus a Sylva præfectus urbi Malacæ fuisset; commodiorem tunc videlicet habuisset exitum destinata in Sinense regnum Jacobi Pereriæ legatio, ex qua tam certa spes ingentis dilatationis sanctæ nostræ fidei pendebat.

Quam diversum ab illo se mihi præbuit frater ejus germanus dominus Alvarus, qui facultatem ad Sinas navigandi et navem a domino prætore mihi datam eripuit. Ignoscat illi Deus; male quippe metuo ne graviores, quam ipse exspectet aut opinetur, læsum ista ejus injuria divinum Numen pœnas ab ipso repetat.

Sed ut ad ejus dissimillimum fratrem dominum Petrum redeam, is modo mihi benignissime mutuo concessit trecentos aureos, quibus egebam in præsenti, ad dispungendum vetus nomen a me in Japonia contractum. Cum enim illic hærenti mihi necessarium omnino videretur ædem sacram in urbe Amangucio construi, sumpsi commodato

a Lusitanis illic negotiantibus nummos ter centum, quos in eam rem impendi. Ejus debiti dissolvendi dies exierat, et creditores aderant, fidem meam operientes. Subvenit egestati meæ tam opportuna mutuatione, et quasi gratuita versura, præstans benignitas domini Petri; cui, simul Goæ comparuerit, volo et jubeo te summam istam trecentorum nummorum ultro numerare.

Sumes istam pecuniam e censu et vectigalibus collegii, aut ex pensione duorum millium aureorum, quam rex e suo ærario decrevit Goano domicilio *Sanctæ Fidei*, non in usum solum eorum qui illic degunt, sed ad subsidium missionum quoque ac stationum per hos tractus Orientales varie institutarum ad promulgationem Evangelii: e quibus una est e vel maxime utilibus Japoniensis.

Cave autem moram interponas ullam hujus expunctioni debiti. Adi, statim ac exscendisse compereris hominem, et cum multa gratiarum actione pecuniam illi suam exsolve.

Ægerrime ferrem si tibi cessanti a tam urgenti, tam enixe injuncto, tam omnibus prævertendo aliis officio, cogeretur dominus Petrus vellere aurem, et debitum reposcere. Peracerbus is mihi nuntius foret, cujus molestiam lucrifac mihi, quæso te, promptissima et quasvis difficultates eluctante mei hujus executione mandati: quam, non dicam, si negligeres (non enim hoc de te metuo), sed si quolibet obtentu repræsentare prætermitteres, exiguum apud te momentum esse arbitrarer mearum gravissimarum commendationum.

Deus Dominus noster nos in Paradisi gloria conjungat. Vale.

Malacæ postridie Idus Julias An. MDLII.

Totus tuus in Christo,

FRANCISCUS.

EPISTOLA IV.

Eidem.

Malacensem præfectum excommunicandum. Tum de Sociis Japoniensibus, Molucensibus, aliis. Postremo memoriam refricat mandatorum, precesque exposcit.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

VIX credas, P. M. Gaspar, quam fuerim exagitatus Malacæ, nec vero tibi ego scribere queam; Franciscum Perem ad te jussi perscribere. Quidquid ille scripserit, quamvis incredibile videatur, credas licet.

Ego in Sinarum insulas quæ Cantoni urbi adjacent pergo, ab humano præsidio nudus, septus tamen, ut spero, divino. In spem venio fore ut Ethnici homines in continentem Sinarum mihi

viam aperiant; quoniam quidem Christiani illud iter intercluserunt, nullo ecclesiasticæ notæ et cœlestis iræ metu, quam tamen miseri incurrerunt.

Quare curabis diligenter, ut episcopus ad Malacensem vicarium excommunicationis formulam mittat, qua formula præfecto Malacensi, itemque aliis, qui tam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publice ac nominatim sacris interdictum esse denuntietur.

Velim autem in ea formula illud poni, me a Paulo III. Pontifice Maximo Legatum Apostolicum missum in Indiam cum diplomatis iis, quæ ipse agnoverit episcopus.

Id ego eo facio, ne quis posthac Christianæ religionis propagationi piorumque hominum conatibus adversetur. Equidem a nullo præposito ecclesiastico postulem, ut quemquam communione fidelium excludat; idem tamen omni ratione contendam, ut qui sanctorum Pontificum decretis ac diplomatis jam exclusi sunt, agnoscantur ab aliis. Neque ullo modo patiar in tanto eorum vulnere conniveri; ut scilicet resipiscentes aliquando quærant vulneri medicinam, et simul ne quemquam in posterum e Societate religionis causa in Molucum, Sinas, Japoniam, aut alio proficiscentem, remorari audeant. (Quare vias omnes persequere, ut edictum istud perveniat.)

Ex quatuor Sociis quos mecum duxi, tres in Japoniam ire jussi, Balthasarem Gagum, Duartem Sylvam et Joannem Alcacevam. Valida navi, et commoda adhuc quidem tempestate sunt usi.

Faxit Deus ut Amangucium salvi perveniant, ubi Cosmus est Turrianus cum Joanne Ferdinando. Ego apud me Socium unum et Antonium Sinam retinui. Ambo graviter ægrotant, cum magna vel ipsorum molestia vel mea. Deo gratia.

Tu tamen proximo anno alium in Japoniam Socium mittere memento, quem et sacerdotem esse oportebit et litteratum; etenim in Japoniam et Sinas viri deligendi sunt docti et eruditi. Quod si sacerdotis non erit copia, certe unum aliquem mittes ingeniosum, et ad Japonicam linguam addiscendam idoneum; et simul Japonensibus sociis pecuniæ aliquid, eleemosynæ nomine, sive ab regis ærario, sive ab *Sodalitate Misericordiæ*, sive ab aliis piis hominibus curabis, ut miserorum illorum inopiam atque egestatem aliqua ratione sublevemus.

Joannem Beiram in Molucum remittes quamprimum (magnopere enim ejus præsentia opus est) una cum *uno aliquo sacerdote*, si fieri poterit, non tam a doctrina quam a virtute satis instructo; nam in Moluco vitæ probitas magis requiritur quam rerum scientia. Proinde Patres qui eo submittentur spectatos esse par est ac probatos.

Iterum tibi mando ut sedulo quæ apud te reliqui præcepta conserves: primum quidem ea quæ ad animi tui salutem ac perfectionem, deinde vero quæ ad Societatis administrationem pertinent.

Si forte (quod Deus avertat) in Sinarum continentem penetrare nequivero, Goam intra men-

sem Januarium anni insequentis, si vita suppetet, revertar.

Tu velim interea ad me omnibus de rebus tum Indicis, tum Lusitanis, itemque de episcopo, de Franciscanis et Dominicanis perscribas; quibus meis verbis salutem plurimam nuntiabis, orans ut sanctis suis sacrificiis ac precibus me communi Domino commendare non desinant. Idem externos nostri Ordinis studiosos rogabis. Quippe nos, qui apud Sinas aut Japones versamur, majore quodam præsidio egemus Dei, qui nos pro sua benignitate ad cœlestem patriam perducat, ubi tranquilliore profecto vita quam in hoc exilio perfruemur. Amen.

Ex freto Sincapurano XIII. Kalend. Augusti MDLII.

EPISTOLA V.

P. Joanni de Beira, Societatis Jesu.

Sensus a Deo accepti qui alios non spectant, minime communicandi. Cum prætore agendum de tuenda et promovenda Ecclesia Molucensi; eodem cito cum Sociis idoneisque diplomatibus revertendum.

Gratia et amor Jesu Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Joannes de Beira,

PER quantum tibi cordi est Dei Domini obsequium, mando et oro ne quos sensus rerum interiorum a Deo accepisti, cuiquam hominum communices. De notitiis loquor cœlesti illustratione menti tuæ inditis, earum duntaxat rerum quæ ad bonum et profectum spiritualem Christianorum Molucensium, Mauricensium, aut aliorum quos te curare contigerit, nihil pertinent.

Quæcumque ad utilitatem et progressum in religione Christianorum attinent, tractabis cum domino prætore, a quo impetrare satages mandata et diplomata quæ ad id opus esse judicaveris. Quod si te facilius obtenturum speres auctoritate ac gratia domini episcopi, eum supplex adibis, orans ne gravetur suadere domino prætori ut Ecclesiam Molucensem amplectatur protectione regia, cavens illi jussis ac scripturis idoneis, adversus injurias vel insidias regis Molucarum parum, ut ais, ipsi æqui.

Totam porro istam Goæ negotiationem tuam quam brevissimo poteris absolves tempore; idque sedulo ages, ut quamprimum expeditus ad reditum sis. Vellem paratus esses ad utendum opportunitate navium quæ mense Maio Goa in Molucas solvunt, et aliquos illuc tecum e nostris sacerdotes duceres. Si sacerdotum non esset copia, alios e Sociis assume, vel tinctos litteris et sacerdotio destinatos, vel etiam laicos. Nam hi modo boni et industrii sint, propter humilitatem facilius se

regi sinunt, ideoque accommodatiores videntur ad pacem concordiamque nostrorum in ea statione retinendam. Constitue autem cum Patre Magistro Gaspare, ut omnino quotannis saltem unus e Societate sacerdos aut laicus ad Molucas mittatur. Cave, oro, ne ulla te causa impediat quominus Maio mense Molucas repetas; nam magnum illic desiderium tui est, utpote cujus ex absentia non modicum res christiana detrimentum capiat.

Defer tecum Goam hanc meam epistolam, et ostende, si opus erit, nostris qui illic præsunt; confido enim eos, perspecta mea voluntate, tuæ reversioni a me jussæ non obstituros. Quas autem res mihi communicasti colloquio arcano quod in æde sacra Malacensi habuimus, vide ne cuiquam illic enunties.

Scribo ad Patrem Magistrum Gasparem, enixe mandans ut tibi omni favore auxilioque præsto sit ad ita mature peragenda quorum causa istuc navigas negotia, ut quamprimum defungi, paratusque exspectare primam quamque transmissionis eo unde venisti occasionem queas.

Porro da operam ne redeas sine diplomatibus domini prætoris rite consignatis, quæ diserte revocent privilegia per dominum Joannem Castrium concessa regi Molucarum; quoniam ille quæ vicissim pactus erat se facturum, et ex sese collaturum in commoda Christianæ Lusitanæque rei, tam mala fide reddit; contraria potius promissis verbisque suis facta exhibens.

Deus nos in Paradisi gloria conjungat.

Ex freto Sincapurano XII. Kal. Augusti Anno MDLII.

Tuus in Christo Frater,

FRANCISCUS.

EPISTOLA VI.

P. M. Gaspari Barzæo.

De Joanne Japone aliisque Sociis opitulandis.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

Magister Gaspar,

CUM Patre Balthasare Gago et Petro de Alcaceva solvit Japonem versus Antonius Japon, interpretis loco ipsis futurus quoad Amangucium pervenerint.

Inflecti se passus est meis precibus Joannes Japon ad præstandam similem operam ei e nostris sacerdoti aut sacerdotii experti, qui anno proxime sequenti mittendus est in Japoniam, eumque comitandum Amangucium usque. Huic bono

neophyto egentissimo fac, oro te per Deum, corroges alicunde eleemosynæ nomine summam triginta circiter *pardaorum,* unde jubeas emi arbitratu ejus ipsique donari merces aliquas, ex iis quas ipse novit facile ac non parvo in Japonia distrahi solere. Ex tali enim peculio habere poterit utcumque, unde contendens satagensque in patria victitet. Hujus rei oportuit me illi spem facere, ut eum inducerem ad repetendum natale solum, unde illum extrema inopia extrusit.

Quo autem alacriori sit animo ad bene fideliterque ministrandum ei e nostris qui proxime iturus in Japonem est, necessarium censeo ut præterquam eam quam dixi eleemosynam ipsi a *Sodalitate Misericordiæ,* aut aliquo istic divite a bonis operibus non alieno, largiendam cures, etiam eum tecto excipias, alasque, ac multa charitate Societati devincias. Hoc quia satis ex his, ut spero, vides quam æquum, quamque mihi cordi sit, non commendabo tibi pluribus, confidens te id sedulo facturum.

Deus Dominus noster nos in Paradisi gloria conjungat.

Ex freto Sincapurano XI. Kal. Augusti Anno MDLII.

Magister Gaspar, quam pecuniam eleemosynæ nomine corrogatam missurus in Japoniam es, expendendam illic in usum nostrorum novam illam Christi vineam colentium, censeo redigi

prius oportere in monetam auro duntaxat, eoque notæ optimæ purissimoque, cusam. Delectum igitur habe, consilio peritorum, inter species nummorum aureorum, eos ad id seponens quos materia conflatos probatissima in confesso sit. Audivi celebrari eo nomine Venetiis signatos; tu vide, prudentum in eo genere sententia, ecquinam auri bonitate iis suppares putentur.

Ea materia magno illic commutabitur, pro modo ponderis et gradu sinceritatis; quoniam ad cælaturas armorum, qui fere unicus auri usus in Japonia est, aurum exquiritur purgatissimum.

Quem nostrorum anno sequenti tertio et quinquagesimo expedies in Japoniam, instrue primum et præmuni egregia patientia; nam ea illi plane invicta erit opus ad perferenda cum viæ ac navigationis, tum postquam eo pervenerit, victus et habitationis incommoda maxima. Fac deinde copiam secum ferat idoneam panni lusitanici, quo se, ac Socios quos ibi reperiet, protegat a frigoribus longe acerrimis rigidissimarum illic hiemum. Vale.

Tuus in Christo amantissimus Frater,

FRANCISCUS.

EPISTOLA VII.

Joanni Japoni.

Commendat eum Barzæo, Perezio, Herediæ; ipsi vero frequentem Sacramentorum et precationum usum, atque in divino obsequio perseverantiam.

Joannes Japon fili mi,

SCRIBO ad Patrem Magistrum Gasparem ut tibi Goæ corroget e liberalitate piorum aliquantum pecuniæ, unde merces in Japonia vendibiles coemas; nolo enim te redire in patriam nudum, ut inde venisti.

Goam ibis cum Patre Joanne Beira, navibus stato tempore Malaca versus Indiam solitis solvere. Simul eo perveneris, reddes Patri Gaspari Goani collegii rectori quam huic junctam epistolam tibi ipsi committo, pro te scriptam.

Patribus qui Goa solvent in Japoniam ituri, quibus comes assignaberis, fac sedulo ministres fideliterque inservias quoad eos Amangucium perduxeris.

Auctor magnopere tibi sum, ut sæpe confitearis sacerdoti quæ te peccare contigerit, dolens ob Dei offensam, et emendationem firmissime decernens. Velim etiam sacram Eucharistiam frequenter sumas cum summa reverentia, et desiderio præmuniendi te adversus pericula excidendi a Dei

gratia, quod ne tibi accidat, auxilium assidue divinum implora. Tum in occasione labendi, connitere totis viribus ad standum et perseverandum in Dei obsequio, memor, si peccaveris, inevitabiliter eventurum ut in hac vita aut in futura gravissime puniaris; quocirca omnium terribilium maxime formidandum puta incidere te in culpam, ob quam æternum urendus in Tartaro sis.

Ubi perveneris in Japoniam, memento salutem a me plurimam reddere Marco et Paulo.

Deus te faciat sanctum et felicem, inque suam Paradisi gloriam perducat.

Ex freto Sincapurano XI. Kal. Augusti Anno MDLII.

Dices Patri Francisco Perezio, ipsi ostendens hanc ipsam meam epistolam, ut quando solves in Indiam, scribat Cocinum Patri Antonio Herediæ, commendando illi, meo nomine, ut in ea ipse urbe conquirat tibi aliquam eleemosynam aut a *Sodalitio Misericordiæ*, aut a quibusdam eorum quos in via spiritus dirigit. Significa quin etiam ipsi Patri Francisco Perezio gratam eum mihi rem facturum, si exspectans tuum ex India reditum, in occasiones invigilaverit corrogandæ tibi alicujus pecuniolæ, quam interim tibi servet, ac Goa reverso procinctoque ad cursum Japonicum numeret; monstra illi hoc ipsum meum scriptum, quo fidem istius mei desiderii facias. Juvabit ille te procul dubio parum aut multum, prout potuerit.

Quod si quis casus obstaret quominus litteras a Perezio ad Herediam scriptas haberes, ubi Cocinum veneris, exhibe Patri Herediæ illic collegium regenti has ipsas ad te meas litteras. Id sufficiet ut is intelligat quid pro te cupiam, et scilicet efficiat enixe quod poterit, ad tibi alicunde corrogandum pecuniarium subsidium quodpiam.

Tu vero, iterum etiam atque etiam rogo, memor sis curare diligenter Patres tecum in Japoniam ituros, iisque obsequi ac servire fide summa.

Addo hic mea manu, Joannes fili: servi valde bene Patribus tecum ituris in Japoniam, et deduc eos Amangucium usque.

Tibi amicus ex animo,

FRANCISCUS.

Inscriptio exterior in una plicaturæ facie hæc erat:

Joanni meo filio.

In altera hæc legebatur: *Joannes fili, Joannes Bravius tibi leget hanc epistolam.*

EPISTOLA VIII.

Jacobo Pereriæ.

Hortatur ut in adversis ad Deum perfugiat, et de inimicis bene mereatur.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

MAGNUM tui desiderium, quod ex assidua tui memoria capio, incredibilem mihi sollicitudinem parit, quod te in terra pæne pestilenti reliquerim. Hic in tua navi perbenigne tuo beneficio tractor, mihique ac meis comitibus res necessariæ suppeditantur; etsi comites quidem mei ita ægri sunt, ut quotidie morbus ingravescat, non sine maxima mea molestia. Deo ubique gratia, in cœlo et in terra, (qui tibi tuisque hanc magnam humanitatem rependat, quæ mihi in tua navi tribuitur.)

Cura, quæso te etiam atque etiam, ut valeas, et ratione atque prudentia paulatim acceptis vulneribus medearis.

Illud abs te vehementer peto, ut nunc quam arctissime complectaris Deum, qui tam difficili tempore calamitatem sublevet ac soletur tuam. Id adeo consequere, si crebrius confessionis et Eucharistiæ frequentabis mysteria, teque ad divinam voluntatem penitus conformabis. Patres Ma-

lacensis collegii sæpius adeas censeo, atque ab his consolationis petas medicinam. Equidem Dei benignitate spero futurum, ut ex isthoc probro ac detrimento magnum propediem decus atque emolumentum existat.

Accepi certos homines fuisse, qui cum nostri itineris impedimenta removere possent, sui compendii causa noluerint. Sed vehementer errant qui, deserto fonte bonorum omnium Deo, commoda atque utilitates ab hominibus petunt. Verum illud præclarum est ulciscendorum inimicorum genus, ut eis et cœleste Numen placare et benigne facere studeamus. Nimirum Deus ipse vicem nostram ulciscetur, pœnasque ab eis repetet omnium opinione majores. Quod utinam secus eveniat.

Si, ut spero, Deo approbante penetravero in Sinas, Lusitanos captivos commonefaciam quantum tibi debeant pro sumptu, quem ipsorum causa feceris ac facturus esses, nisi hominum improbitas obstitisset; atque etiam spem miseris illis faciam libertatis, quam eos proximo anno (si Deus faverit) tuo beneficio recuperaturos esse confido.

Sane velim de te deque tuis rebus me facias certiorem; ubicumque enim terrarum fuero, pergratum mihi perque jucundum erit tecum per litteras colloqui. Quod si Deo aliter visum erit, aditusque nobis omnes in Sinas clausos videro, fortasse Malacam primo quoque tempore transmittam, atque inde in Indiam, unde ad regem scribam. His adjungo meas ad proregem litteras;

fido eas tabellario committe; simulque ad regem et proregem ipsum scribe litteras, quibus declares quæstus ingentes et commoda, quæ a Sinarum regno ipsis obvenient, si eo penetraris, quibus scilicet ad petendum ingressum inducantur, quo Deus Dominus noster agnoscatur, colatur, et observetur.

Qui semper tecum sit, tantumque tibi, quantum mihi ipse expeto, in hac vita solatii, in altera illa felicitatis impertiat.

Ex freto Sincapurano XI. Kalendas Augusti MDLII.

EPISTOLA IX.

Jacobo Pereriæ.

Cum grati animi significatione vicem amici, et ærumnas sociorum dolet ac solatur; accedunt stimuli ad animum Sacramentorum usu purgandum. Nonnulla de Sinensi itinere, plura de litteris ad regem mittendis. Ulciscitur Xaverius non bene de se meritos, quibus potest eos beneficiis prosequendo.

TENERUM, domine, tui desiderium ex recenti tuo capitis longe dulcissimi conspectu, exulcerat mihi animum imagine ac recordatione discriminis in quo te reliqui, utique in terra cœli

haustu corrupti, et pestifera contage languentium, quotidianis diræ luis contrahendæ periculis exposita. Hæc mihi cura simulacrum tui continue mentis oculis objicit, cor acerbo metu pungens ne tibi secus quam dignus es, et quam anxiis votis ambio, humanitus aliquid contingat.

In hac tua nave tui omnes, quod sic te velle norunt, eximio me honore benevolentiaque prosequuntur, subministrantes abunde cuncta quæ opus sunt, non ad victum modo meum benevalentis, sed et ad curationem eorum cum quibus, ut scis, istinc solvi languentibus: qui quidem per Dei misericordiam (nam misereri tunc quoque Deum credimus cum sævit, quod ex tali manu mala etiam vim gratiarum habeant) divino, inquam, beneficio ægri nostri deterius in dies valent, ex quo quam æger ipse animo sim, quamque acri sollicitudine discrucier, novit qui nos et consolatur et affligit quando vult, providentissimus amarorum et dulcium temperator Dominus: cujus ab omnibus semper in cœlis et in terra laudes præconiaque celebrentur.

Mitto istuc ad te, domine, quas ad regem et ad Indiæ prætorem scribo litteras apertas, sigillo pendente, ut eas, si videtur, legas et postea obsignes. Equidem, domine, tua causa cuperem istam a me datam ad regem epistolam hoc anno in Lusitaniam perferri a quodam tibi fido, qui regi eam redderet, et rescriptum impetraret ac referr ek·, quippe non temere auguror id tale for quale nobis communiter expediat huc apportari

quam citissime. Domino Petro licebit eam epistolam ostendas, delectabit enim eum videre quid ad regem de ipso scribam.

Has, ut vides, litteras scripsi duobus exemplis, quorum unum signatum, alterum patens est, a te, ut dixi, obsignandum postquam legeris. Mittas velim utrumque diversis et tabellariis et navibus. Et alterum quidem recte (ni fallor, et nisi tu secus sentis) commendaretur domino Petro ad regem proficiscenti; alterius qui perferendi curam suscipiat, vellem a te legi aliquem ex tibi amicissimis, qui fidelissime ac prudentissime putaretur quæ ad rem dignitatemque tuam pertinent tractaturus. Verum hoc totum arbitrio ac sapientiæ tuæ permitto.

Illud peto majorem in modum, domine, ut vitæ, valetudini, statui denique tuo solerter prospicias, primum removens te a contagiis et omni suspecto commercio cum morbo populari laborantibus, aut qui eis ministrant; deinde invigilans rei tuæ familiari, nihil temere agens; omnia circumspecte ac maturo judicio constituens; cunctorum quidem qui se tibi amicos ferunt grate accipiens officia, non tamen facile cuivis fidens; nec, quoad rebus ipsis perspexeris quid quisque habeat in animo, plus te illis porrigens quam tutum foret, si, quod non raro evenit, illi tibi mendaci benevolentiæ ostentatione fucum facere conarentur.

Ante omnia oro te, domine, et in gratiæ numero precans postulo, ut te, quo magis urgeris adversis, eo interius divino Numini admoveas; ea enim sola

demum via est, qua tibi angustiis rerum procellisque temporum afflicto, adspirare consolatio queat. Per ego te, quo Dominum amplecteris, amorem, pro eo quantum gratificari mihi cupis, in parte beneficii mihi proprie ad gratiæ debitum imputandi, rogo et obsecro, ut in hoc acri sensu ærumnosissimæ molestiæ ex tibi nuper immerito illata luculenta injuria, cor dolore æstuans agentis ferentisque spatium colligendi tui sumas; purgatoque per sacramentalem confessionem animo, ad sacras Christi Corporis in Eucharistica mensa epulas accedas; ac sic affectus tuos omnes divinæ subjiciens voluntati, boni consulas quidquid illi libuit permittere; illud insuper mecum sperans, totam istam vehementissimam tempestatem non modo nihil nocituram, sed profuturam etiam, expetibili tibi ad extremum vitæ commodorum et civilis honoris augmento.

Franciscum de Villa retineo et duco mecum ad Sinas, tum quia ejus opera plurimum egeo, tum etiam quod non alium aptiorem puto ad rem tuam recte in navi administrandam, et juvandum Thomam Scandelium procuratorem tuum. Postquam Deo juvante terram Sinicam attigerimus, prima eum opportunitate solventis inde navis remittemus Malacam. Sin Deo non placuerit aperire nobis aditum in Sinas, et me inde excluserit, ego ipse prima occasione navigandi Malacam, istuc e Sinarum vicinia me referam; ac si ad tempus occurrero nondum solutarum quæ Lusitaniam repetunt navium, cum iis in Indiam redibo.

Mihi videbatur e re fore si tu ipse, domine, ad regem scriberes fuse ac minute, percensens commoditates ex constitutione commercii Sinensis, per impetratam regiorum ministrorum in portu Cantonis habitationem, in rem Lusitanicam redundaturas. Eodem argumento nec minori diligentia, vellem ab eodem te litteras ad dominum Indiæ prætorem dari; nam in eam sententiam ego quoque ad regem scribo, ut videre poteris legendis litteris, quas apertas mitto. Tu eas lectas et signatas, cum tuis paria docentibus, velim unum in fasciculum colligas, quem sic exterius inscribas: *Regi domino nostro: a Patre Magistro Francisco.*

Vide autem ut is, cui Lusitaniam petenti fascem regi coram in manus reddendum commiseris, sit nobis fidus, idoneæque auctoritatis et peritiæ, tum quem certo scias necessariis causis ad continuo redeundum in Indiam compelli; ut scilicet ab eo mox reversuro expeditum habere negotium, primo navium e regno Goam appulsu queamus.

Si Deus Dominus noster dignatus fuerit ingressum mihi pandere in Sinense regnum, hoc ipsum ubi cognoveris, domine, ne pigreris, quæso, ingeminare cunctis occasionibus ad me illuc litteras; nam in quacumque fortuna magno ibi futurum mihi solatio est de te, tam caro mihi capite, ut valeas et quid agas nosse.

Deus utinam Dominus noster, tantum tibi, domine, et consolationis in hac vita, et gloriæ in futura tribuat, quantum mihi ipsi cupio. Vale.

Ex freto Sincapurano Kal. Augusti An. MDLII.

Proepiscopus Malacensis oravit me ut pro se ad regem scriberem. Facio quod petit; etsi non defuit qui mihi diceret eum, in negotio nostræ ad Sinas legationis, omisisse quod ex se conferre in rem nostram, aut potius publicam, potuerat; et rationes divini obsequii, nostræque sanctæ fidei dilatationis, posthabuisse gratiæ domini Alfonsi Alvari præfecti Malacensis, cui se addictum affectavit demonstrare, spe quæstuosa cujusdam emolumenti temporalis, quod sic eblanditurum se ab illo confidebat.

In magno errore vivit quisquis, neglecto Deo unde bonum omne manat, confidit ea quibus eget, aut quæ appetit, se per homines adepturum.

Ego vero soleo ulcisci non bene de me meritos, quibus possum eos beneficiis prosequendo. Nam pœnæ quas merentur a Deo non deerunt; et tu ipse clarissimis experimentis, domine, videbis, severe puniri divinitus eos omnes qui mihi Dei obsequium promoventi obstiterunt. Vere tibi, domine, profiteor: miseret me jam nunc horum, male metuentem ne supplicia, ipsorum opinione graviora, infelicium cervicibus immineant.

Epistolam istam ad regem meam, qua ei commendo proepiscopum, huic fasciculo insertam, quæso, ne gravere, domine, dare coram in manus ipsi domino proepiscopo, ut eam cum suis mittat.

Si Deus me introduxerit in Sinense regnum, id quod ex ejus spero gratia, docebo Lusitanos qui detinentur illic quantum tibi debeant, exponens quos labores et sumptus causa ipsos consolandi

exhauseris; atque adeo, prout te velle novi, universos ipsos tuo nomine salutans; et quoniam a proposito eos juvandi non desistas, sperare illos jubens te, si quo modo potueris obstacula piis tuis conatibus hactenus objecta, Deo juvante, perrumpere, ad ipsos anno sequente perventurum.

Peto a te tua causa, domine, ut Patres nostros qui istic sunt frequenter visas; quoniam confido animi quæ te angit ægritudinem consuetudine ipsorum alloquiisque minuendam.

Iterum vale.

Tuus verissimus amicus,

FRANCISCUS.

EPISTOLA X.

Eidem.

Sancianum appulsus, cum mercatore transigit ut se Cantonem perducat. Pereiram et procuratorem ejus Scandelium laudat. Si fidem mercator fallat, anceps animi pendet, nisi forte ad regnum Sionis se conferat. Litteras et conspectum Pereiræ desiderat, cui Franciscum de Villa commendat.

Deus per suam indulgentissimam misericordiam, domine, tuam nobiscum navim in hunc Sancianensem portum perduxit incolumem. Hic quæ sit ratio conditioque commercii, quive negotiationis aut fructus præsens extet, aut spes in posterum affulgeat, scribent ad te multi talium callentes; ego, qui parum his attendo, consultius putavi de re minus mihi nota verba non facere.

Quod mei est negotii narro tibi, exspectare me in dies singulos mercatorem qui recepit se me in Cantonem pervecturum. Transegi cum eo ut istam mihi operam præstaret, promissis mercedis nomine viginti *picis*, ut hic loqui solent, hoc est mensuris piperis, quarum unaquæque libras pendit centum viginti lusitanas. Succedat utinam hoc negotium (et successurum spero) ad maximum Dei Domini nostri obsequium et gloriam.

Si cujus hominis in ea tota re meritum erga divinum Numen extabit ullum, tuum profecto erit, tibique in solidum imputabitur; quoniam et sumptum universum meæ meorumque comitum advectionis in hanc insulam, prætereaque pretium a me pactum, ut dixi, pro nostra introductione in continentem Sinicam provinciamque Cantoniam, liberalissime tu suggeris.

Thomas Scandelius procurator tuus summa fide exequitur quod illi commendasti, dans mihi quidquid ab ipso postulo. Deus illi rependat charitatem tantam et quotidiana beneficia, quibus me in omni occasione opportunissime afficere non desinit.

Sinensis mercator, a quo exspecto me deportandum in terram Cantoniam, valde notus est Manueli de Chaves, quem diebus multis absconditum domi suæ in urbe Cantonis tenuit, quando is fugit e carcere. Hoc ipsum facit ut confidam neutiquam illum a fide mihi data desciturum; præsertim cum satis intellexerim, quando in hoc Sancianensi portu cum eo tractavi, haud parvi ab eo fieri quam promisi mercedem centum viginti medimnorum piperis, ejus quam supra exposui mensuræ.

Confido me per Manuelem de Chaves, quem jam liberatum et in procinctu ad reditum in Indiam reperturum me Cantone spero, fuse ad te perscripturum quomodo negotium successerit et navigationis et exceptionis in urbem Cantonem meæ.

Si vero (quod Deus avertat) fidem falleret Sinensis ille mercator, nec facultas mihi alia ulla suppeteret hoc anno in Sinicam continentem transmittendi, quid tum consilii caperem, anceps animi pendeo; quippe nondum constitui rediremne in Indiam, an me conferrem ad Sionis regem, a quo audio ad regem Sinarum adornari celebrem legationem, cujus in comitatu locum forte reperire possem aliquem. Si repetam Indiam, spes affulget nulla, quamdiu Alvarus Gama Malacæ dominabitur, nos æqui bonive quidquam istic impetraturos, aut omnino memorabile quippiam circa Sinensem hanc nostram expeditionem successurum, nisi Deus supra humanam exspectationem aliquid vi sua suprema fecerit. Non scribo hic

quid interius circa hoc sentiam; tantum dico male metuere me, ne Deus acerbiores multo quam opinatur ab illo pœnas porro repetat, nisi et jam cœperit repetere.

E freto Sincapurano scripsi fuse ad te, confidoque illas litteras recte perlatas, quippe quas homo fidus portandas receperit Manuel de Fonseca, famulus Antonii Pegadi. De meis rebus quod nunc scriberem aliud non erat, nisi modo convaluisse me e febre dierum quindecim.

Plura scies, si negotium Sinici trajectus cursum suum tenebit, litteris quas ad te copiosas Cantone scriptas tradam Manueli de Chaves, cum aliis æque prolixis ad dominum regem.

Si quis me casus spe dejiceret ista, offert ecce mihi Jacobus Vazius Aragonensis benignam copiam navigationis secum, cogitans Sionis regnum, quo est vela facturus, empto ad id navigio Sinensis formæ, qualia *Juncos* solemus appellare. Invitat ad hoc consilium, quod occasione legationis Sionensis, aditus forte via illa pandi posset aliquis ad Sinas et Cantonem, unde scribere ad te per Manuelem Chavesium liceret. Hæc me cogitatio tantum allicit, ut propendeam equidem in istam navigationem Sionensem; quare peto a te, ut si quam istic occasionem nancisceris commodam litteras in regnum Sionis transmittendi, ne pigreris ad me illuc scribere quid consilii ceperis post meum a te discessum, quove nunc loco res tuæ sint; ecquid anno saltem proximo legatio tua successum habitura videatur: tunc enim opperirer

te Comaii, aut in alio aliquo Cantoniensis oræ portu.

Annuat utinam id Deus: quam suaviter amplexaremur nos mutuo, intra utique illam tot nobis expetitam votis Sinarum terram invicem occurrentes!

Sin Deo aliud placet, et visuri amplius in hac vita non sumus inter nos, at per suam misericordiam immensam concedere dignetur benignissimus noster et rerum omnium Dominus convenire nos ambos aliquando in ejus Paradisi gloria, ubi summo cum gaudio sine ullo fine visemus invicem. Vale.

E Sanciano XII. Kal. Novembris An. MDLII.

Franciscus de Villa navat tibi quam potest utilissime operam in navi. Testimonium illi debeo gratissimi erga te animi. Palam prædicat te auctorem fortunæ ac status sui, et beneficium tuum esse quod panem domi habeat. Iturus ad te est cum Manuele de Chaves petitum veniam, quod huc venerit non impetrato in id tuo assensu; sed si qua in eo culpa est, mea est. Iterum vale.

Tuus verus ex animo amicus,

FRANCISCUS.

EPISTOLA XI.

Francisco Perezio Soc. J.

Jubet ut relicta Malaca Cocinum trajiciat, cujus præsit collegio, salutique animarum juxta præscriptam formulam incumbat.

Francisce Perezi,

MANDO tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ne post visas hasce meas litteras hæreas amplius Malacæ, sed quamprimum poteris expedias te ad navigandum in Indiam, utens ad id navibus proxima motione soluturis. Quod si post harum discessum acciperes hanc epistolam, conscendes navim quæ Choromandelo Cocinum tendit; habitabisque Cocini ministeriis iisdem concionum, confessionum, et scholæ catecheticæ intentus, quibus exercebaris Malacæ, ordinem plane ac methodum eam tenens, quam tibi scripto expressam, cum Malaca in Japonem solverem, reliqui; aut si quam loci diversitas mutationem posceret, juxta formulam a me in scriptis traditam Antonio Herediæ, cui volo te succedere in cura et gubernatione collegii Cocinensis.

Ipsum autem Herediam, vel quemcumque alium post meum forte discessum Cocinensi domicilio quavis occasione præpositum, jubeo statim ab his litteris, te monstrante, visis, conferre se Goam,

et illic paratum exspectare dum mittatur in Japoniam.

Quo die Cocinense collegium intrabis, ex eo die quicumque illic præest abdicet præfecturam; tuque jure quam optimo illi subrogatus, rectoris auctoritate gubernare domum illam incipias, subjectus tamen, quatenus præscripsi, potestati rectoris collegii *Sancti Pauli* apud Goam. Ibi porro, juxta institutum Societatis et talenta tibi credita, pro viribus incumbes in procurandam Dei Domini nostri gloriam, promovendis ad salutem et perfectionem nostris pariter et externis.

Hæc quamquam et his plura majoraque confidebam vos sola meæ voluntatis indicatione sine mora facturos, tamen ad majus vestrum meritum interpono vim potestatis mihi traditæ; ac tam tibi quam Herediæ, aut cuivis alteri regenti Cocinensem domum, in virtute obedientiæ impero, ut quemadmodum modo dixi faciatis; ille videlicet statim decedat regimine domus et prima quaque occasione Goam migret; tu ei rector succedas, et tuæ potestati pareant non solum nostri omnes sacerdotes aut laici qui tunc erant Cocini, sed etiam quicumque quavis causa illuc venerint, cujuscumque ordinis, gradus, dignitatisve fuerint; nisi si quem forte rector Goanus tuo exemptum imperio certis de causis vellet. Et hoc omnes intelligant a me sibi ex obedientia mandatum.

Tu egredi quamprimum ex urbe Malaca, et capessere regimen collegii Cocinensis, quod utrumque jubeo, ne omiseris.

E portu Sancianensi, XII. Kal. Novembris Anno MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XII.

Eidem.

Sua in Sanciano gesta, et constituta in Cantonem transmissio. Nulla vitæ discrimina, solam de Deo diffidentiam pavescit. Sinarum de Xaverio ejusdemque religione sensus. Si pactio inita cum mercatore in nihilum decidat, Siami regnum cogitat.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

SANCIANI portum a Cantone millia passuum circiter centum viginti, Deo favente, tenuimus.

Simul atque e navi descendimus, ædiculam struendam curavi, ubi quotidie, quoad in morbum incidi, rem Divinam feci. Laboravi dies omnino quindecim, jam Dei beneficio convalui. Nec vaco a piis negotiis, veluti a confessionibus audiendis, discordiis tollendis, cæterisque officiis generis ejusdem.

Huc Sinæ mercatores multi Cantonienses commercii causa commeant. Egerunt cum eis diligenter ac sæpe Lusitani, ut eorum aliquis me Cantonem trajiceret; omnes tamen præcise negarunt, quod magnum vitæ ac fortunarum suarum discrimen se adituros dicerent, si forte id urbis præfectus aliquando rescisset. Quocirca ut nos in suas naves conscendere paterentur, nullo modo adduci potuerunt.

Verumtamen inventus est, non sine Dei consilio (ut arbitror), mercator Cantoniensis sane honestus, quocum aureis ducentis decidi. Is pollicetur transmissurum nos parva navicula, ubi præter liberos suos et servos vernaculos paucos nemo sit; ut si forte urbis præfectus rem odoretur, nautarum indicio rescire non possit quis me Cantonem advexerit. Idem recepit se triduum aut quatriduum domi suæ nos cum nostris libellis ac sarcinulis asservaturum; tum summo mane ad urbis portam viamque deducturum, quæ recta ad prætorium ferat.

Mox ego præfectum conveniam scilicet, eique demonstrabo me eo consilio venisse ut Sinarum regi divinam cœlestemque legem exponerem; tum a Goano episcopo ad regem proferam litteras. Mercatores omnes Sinenses nostro lætantur conspectu, aiuntque gratissimum sibi fore, si res tandem conficeretur.

Non sum nescius duo in hoc negotio inesse pericula (ut ex omnibus indigenis intellexi). Alterum, ne Sina ille mercator, accepta pecunia, in

deserta aliqua insula nos destituat, aut in mare deturbet rei occultandæ gratia; alterum, si Cantonem devecti erimus, ne præfectus urbis omnia in nos exempla et cruciatus edat, aut certe in perpetuam redigat servitutem: quippe cum peregrinis in Sinarum regnum sine fide publica intrare capitale sit. Verum alia præterea pericula impendent occultiora longeque majora, quæ percensere longum esset; pauca tamen e multis exponam.

Primum igitur periculum est divinæ Providentiæ ac benignitati diffidere, cum præsertim Deo auctore ejusque unius causa huc contenderim, eo consilio ut huic genti prædicarem sanctissimam illius legem, atque unicum Filium Jesum Christum nostræ salutis auctorem. Itaque cum ipse pro sua benignitate hanc nobis mentem injecerit, nunc de ejus ope ac præsidio, propter pericula quæ se offerunt, dubitare, majus utique ac certius periculum esset, quam quidquid nobis periculi ejus hostes possunt intendere.

Etenim neque diaboli neque eorum satellites atque administri quidquam nocere nobis queunt, nisi permissu præpotentis Dei. Qui si nobis præsidio sit, quam facile omnia pericula propulsabit. Huc accedit, quod Christo Domino parebimus admonenti: *Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*[1]. Quod congruit cum illa ejusdem voce: *Qui ponit manum suam ad aratrum, et respicit retro, non est aptus regno Dei*[2].

1. Joan. XII, 25. — 2. Luc. IX, 62.

Quare cum nos hæc animorum pericula periculis corporum majora ac certiora esse videamus, optimum ducimus mortalis vitæ pericula subire, ne æternæ salutis discrimen incurramus. Quid multa? fixum omnino et statum est nobis in Sinas pervadere. Secundet modo Deus iter ad suæ religionis amplificationem; quominus diaboli eorumque administri omnes manibus pedibusque conentur omnia, non recuso: *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos* [1]?

Spero me navibus, quæ novissime hinc solvent in Indiam, litteras ad vos de meo in urbem Cantonem introitu daturum. Comites mei perpetuis morbis conflictantur. Ad hæc Sinam, quem interpretem adduxeram, patrii sermonis jam oblitum esse comperi; sed nactus sum alium interpretem, non modo linguæ sed domesticarum etiam litterarum peritum, qui se mihi sua sponte comitem itineris obtulit. Deus illi et in hac vita, et post mortem pro me referat gratiam. Ora, quæso te, Deum, ut hominem in suscepto consilio propositoque confirmet.

Sinæ omnes honesti, quicumque nos norunt, nostra consuetudine admodum delectantur, nosque in Sinarum fines penetrare percupiunt. In animum enim induxerunt suum, iis quos circumgestare nos vident libris, legem aliquam sua meliorem contineri. Et quamquam id eo fortasse accidit quod cupidi sunt rerum novarum, tamen peroptant nos in Sinarum fines intrare. Attamen

1. Rom. VIII, 31.

ipsi nos in Sinas devehere, propter eam quam dixi causam, omnino recusant.

Mercatorem illum quocum transegi in dies exspecto. Utinam is exspectationem non frustretur meam. Quod si accidat, incertum est quid acturus sim, utrum in Indiam reversurus, an ad Sionis regnum trajecturus, ut comitem me addam legato, quem rex Sionis ad Sinarum regem brevi missurus dicitur. Quæ agentur scribam tibi per navem, quæ postmodum in Malacam solvet.

Christus Dominus noster auxilio nos et consilio juvet, ut in cœlestis gloriæ societatem aliquando veniamus.

Ex insula Sanciano, XI. Kalendas Novemb. MDLII.

Tuus in Christo minimus Frater,

FRANCISCUS.

EPISTOLA XIII.

P. Gaspari Barzæo.

Sinam mercatorem exspectat, a quo ex pacto Cantonem trajiciatur. Sedulam mandatorum observationem inculcat, præcipue ad submissionem animi pertinentium; quinam adlegendi, et a Societate dimittendi. Salutat Dominicanos et Franciscanos Patres.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

SCRIPSI ad te quid adhuc mihi accidisset, Malaca, an ex freto Sincapurano?

Inde nos ad Sancianum Sinarum insulam, a Cantone millia passuum circiter CXX, Deus perduxit incolumes. Hic Sinam mercatorem in dies exspecto, quocum propter atroces pœnas propositas iis, qui advenam sine fide publica introduxerint, *pardais* ducentis transegi, ut me in Cantonem trajiciat. Faxit Deus ut res succedat ex sententia.

Comperi certos homines ab Sinarum rege quaquaversus in aliena regna dimissos, qui eorum disciplinas, instituta, legesque cognoscant. Proinde spes est fore (id, quod ipsi mihi Sinæ confirmant,) ut rex Christianam religionem haudquaquam aspernetur ac respuat.

Si Deus vitam mihi suppeditaverit et aliquid per nos gesserit, faciam ut scias. In præsentia tibi mando ut tute tibi curæ sis; sin minus, quam tui spem habeam non video.

Memento quæ apud te reliqui præcepta lectitare, atque observare sedulo, maxime vero illa quæ ad submissionem animi pertinent, in quibus jubebam te exerceri quotidie. Vide etiam atque etiam ne circumspiciens ea, quæ Deus per te ac Socios universos efficit, obliviscaris tui.

Mihi vero, pro mea erga vos omnes charitate, pergratum esset vos una cum animis vestris con-

siderare quam multa Deus vestro vitio facere omittat; atque hæc malim vos intueri, quam quantas res per vos Deus efficiat. Nam prior cogitatio pudorem ac demissionem animi afferet vobis, vestræ imbecillitatis miseriæque admonitis; posterior autem facile in elationis et arrogantiæ discrimen adducet, nixos alienis bonis præclarisque facinoribus, hoc est divinis. Circumspice, quæso, quam multis hæc perversa cogitatio periculum crearit; quam exitialis hæc Societati pestis, si semel in ea serpere cœperit, sit futura.

Denuo tibi mando ut paucos in Societatem adlegas, eosque vel ad studia litterarum, vel ad officia domestica idoneos. Narro tibi: servos, vere, inquam, servos ad ejusmodi officia domestica emas citius, quam parum idoneos Socios asciscas, censeo.

Si qui eorum, quos ego dimisi, Goæ versantur, cave eos ullo modo recipias; neque enim sunt ad nostrum Institutum accommodati. Quod si quis superiorem vitam plane emendaverit, idque publicis pœnis sponte susceptis ac diuturnis planum fecerit, hunc, ubi satisfecisse tibi visus erit, tum demum in Lusitaniam ad Societatis moderatorem cum litteris commendatitiis mittas licebit; nam istos Indiæ usui non esse perspectum habeo.

Atque etiam si quis e Societate, sive sacerdos, sive alius quispiam gravius aliquid admiserit cum offensione aliorum, eum statim missum facito, neque cujusquam deprecatione adductus recipito; nisi forte peccati cognitio, dolor, ac pœna volun-

taria ejusmodi fuerit, ut ipsa per se calamitatem ab illo deprecetur. Sin minus, nullo modo recipies, ne ipso quidem prorege cunctaque India deprecante.

Iterum tibi revoco in memoriam ut in Molucum et Japoniam nonnisi spectatos, magnaque virtute atque usu Socios mittas; tales enim cultores agri illi desiderant.

Magnopere me commenda universis Patribus Fratribusque Societatis nostræ, omnibusque ejusdem studiosis. Dominicanos ac Franciscanos Patres meis verbis salutabis, atque obtestaberis ut in sanctis suis precibus ac sacrificiis Deum pro me orare non desistant.

Deus nos perpetuo regat, et aliquando in beatitudinis suæ societatem vocet in cœlum.

Ex Sanciano Sinarum insula, VIII. Kalendas Novembris MDLII.

Tuus in Christo minimus Frater,

FRANCISCUS.

EPISTOLA XIV.

Eidem.

Didaci Pereiræ in Sinicam transmissionem impendia, qui propterea impense a Sociis est colendus. Nova

ejusdem Pereiræ legatio. Quid Ferreiræ faciendum, quid Vincentio Viegæ, Pereiræ, domui Malacensi, ac Bernardo nostro. Interprete Sina destitutus, si mercator fidem fallat, Siami regnum petere constituit.

Gratia et amor Domini nostri Jesu Christi adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

LEMBO hinc solvente Gasparis Mendezii, uni ex ejus vectoribus Francisco Sanctio dedi ad te litteras, quas spero redditas; et quod iis mandabam, itemque quæ per hasce præscribo, ut effecta des magnopere tibi cordi esse, atque adeo sedulitate accurari maxima cupio.

Octavum jam diem hic in horas exspecto mercatorem, qui me clam importaturus in urbem Cantonem est. Hunc ego, nisi casus humana vi major obstiterit, ut confidam omnino venturum, facit magnitudo promissæ mercedis ipsius etiam æstimatione ac judicio notabilis; numerum enim piperis, si me incolumem Cantone sisteret, eum ostendi me daturum, ex quo lucrum pretii aureorum facile nostratium plus quam quinquaginta supra trecentos se redacturum intelligit.

Hanc facultatem tam caro emendæ transmissionis ad Sinas meæ summo amico meo Jacobo Pereriæ debeo; ex hujus enim volentis et liberalissime condonantis penu tantum istud pondus pretiosæ frugis mihi ad manum est. Rependat illi Deus mea vice quod semper debiturus ipsi sum, utique solvendo impar.

Vos autem hortor universos, ut pro virili annitamini de hoc viro quam optime mereri, ubicumque per Indiam opis, officii, auxiliive ipsi cujuspiam impendendi sese obtulerit occasio; arripite avide ansas omnes ejus causa operæ navandæ, nec contentioni in hoc ulli parcite. Nunquam, vel extremo conatu conspirantes utcumque simul omnes, valebimus rependere vel hoc ultimum beneficium redimendæ, tanta sua impensa, tam utilis ad propagationem nostræ sanctæ fidei, introductionis nostræ in Sinarum regnum, tam impenetrabiliter hactenus Evangelio clausum. Per hanc quippe habebit Societas Jesu quam votis omnibus exoptat facultatem dilatandi regni Christi, adjungendis Ecclesiæ tot illis imperii vastissimi populis. Et videlicet (ut jure principiis progressus imputantur) totum illud debebit beneficentiæ hominis unius Jacobi Pereriæ, qui e re sua privata sumptus omnes suggesserit itineris hujus mei ad tantam rem auspicandam necessarii.

Rescias ex ipso velim, ecquid se confidat eluctaturum obstacula legationis, et anno consequente Cantonem venturum? Ego id quam valde cupio, tam parum spero. Utinam meam diffidentiam successus opinione lætior refellat. Ignoscat Deus illi homini qui est causa tanti mali. Plurimum metuo ne gravissima illum cito excipiat læsi Numinis ultio; nec multum aberit quin ejus jam sentire primos occeperit appulsus.

Scribo ad ipsum Pereriam, ut, si contra quam spero negotii exitum expedierit, adjungere sibi ne

gravetur soluturo in Sinas comitem unum e nostris, quem illi Gaspar Barzæus Goa submissurus ad hoc est, modo admoneatur in tempore. Sic enim illi per litteras mandavi. Sin quod verisimilius reor, desperato legationis successu, Pereria navem suam, Malaca omissa, directurus Sundam est, nihil erit tum necesse destinatum illi Sinicæ profectionis comitem sacerdotem nostrum Goa mense Maio Malacam petere: de quo, ut dixi, Gasparem Goanum rectorem tempestive præmoneri oportebit per te ipsum; quem propterea vellem, antequam Malaca solveres, explorasse ad liquidum quid sit Pereria facturus.

Ferreriam ejeci e Societate, nam ineptus ad illam est; quare tibi, cum Cocinum appulsus collegii regimen capessieris, mando in virtute obedientiæ ne illum domo excipias. Eum tantum quoad poteris hortare, ut ad Franciscanorum vel Dominicanorum Fratrum se Institutum transferat; tum si persuaseris, age cum illis Patribus ut eum admittant. Scribes etiam Patri Gaspari Barzæo Goam me omnino pro imperio vetare, ne Ferreriam in convictum nostrorum aut sub tectum collegii recipiat, solum juvet illum quantum poterit ad transitum in alterum sacrorum Ordinum Sancti Francisci aut Sancti Dominici.

Si Deo volente Cantonem tenuero, dabo anno sequente pro virili operam, ut vos ejus ipsius rei nuntio impertiam, scriptis illinc in Indiam litteris, quas curabo quam optime licebit perferri ad navem Choromandelem petituram. Utar ad hoc

navigio Pereriæ ex hac ora redituro Malacam: ubi utinam occurrat in tempore ante discessum navium quæ Choromandelem versus stata tempestate consueverunt inde solvere. Hoc si successerit, poteritis intra mensem Martium Cocini de meo Cantonem appulsu certiores fieri. Ad eam rem expediet te Malaca discedentem commendare Vincentio Viegæ, ut simul appulisse illuc cognoverit navim Pereriæ reducem ex ora Sinica, requirat recipiatque si quæ in ea litteræ meæ fuerint, easque Choromandelensi via dirigat Cocinum. Ne autem, cum in Choromandelis oram fuerint perlatæ, ibi negligantur, præsertim si, quod pronum eventu est, illic tum forte defuerit opportunitas ulterioris maritimæ vecturæ, Jacobum ipsum Pereriam te præmunivisse conveniet matureque orasse, ut eas litteras cum suis ad te Cocinum, expedito via terrestri tabellario, mittere ne gravetur.

Quod tuum Malaca discessum attinet, in ejus procinctu commendes censeo Vincentio Viegæ custodiendam tum domum illic urbanam nostram, tum suburbanam ædiculam, a sacello adjuncto Dominæ nostræ Deiparæ dicato nominatam. Orabis ergo eum ut curæ custodiæque suæ utrumque illud Societatis domicilium committi patiatur. Ac ne forte processu temporis aut ipse, aut ejus nomine quisquam, quæsitum illi jus quoddam in loca illa opinetur, trade in manum ipsi exemplum donationis, qua dominus episcopus ædes illas jure quam optimo Societati Jesu in perpetuum transcripsit; simulque syngrapham exige qua Vincen-

tius testetur se depositi nomine, ad custodiam duntaxat, habitationem utramque illam, Societati cum repetierit reddendam, sub tutelam et patrocinium suum sumere. Ipsas vero authenticas donationis tabulas, et archetypum diploma domini episcopi tecum ablatum, Cocino via tutissima deportandum Goam cura, illic in *Sancti Pauli* tabulario servandum.

Porro te in consilio Malaca discedendi plane jubeo irrevocabiliter fixum persistere, vetoque omnino ne cujusquam quantisvis precibus, aut fallacibus promissis, induci patiaris ad illic hærendum; neve pergas operam longe utilius, ut nunc res est, ubivis alibi locandam, in ea ingrata et eo subsidio indigna civitate perdere, prout ex aliquo jam tempore contigit.

Cum bono isto sacerdote quem modo nominavi, Vincentio Viega, poteris, si tibi videbitur, relinquere istic Bernardum nostrum, ut quod hactenus fecit docere pueros primores litteras et orationes elementares, ac fidei Christianæ rudimenta, pergat. Hoc tamen totum arbitrio tuo permitto; delibera quid magis expediat, et prout conducibilius judicaveris, aut illum abduc tecum aut permanere ibi jube.

Ferreriam e Societate amandatum navigare in Indiam nollem in eadem tecum navi; quare da operam, quantum poteris, ut aliam conscendat. Sin aut copia navis alterius non erit, aut ipse utique non feret avelli a te, magnopereque oraverit ut tecum eum tollas, indulgeas id licet;

sed ea diserte denuntiata conditione, si sancte polliceatur se in alium religiosum Ordinem transiturum. Id duntaxat ubi clare promiserit, juva illum et fove pro tua copia, ea benignitate charitatis quæ ipsum possit in isto proposito firmare.

Interpres quem scripseram velle mecum in Sinas ire, ab illo consilio metu resiliit, meque destituit hic hærens. Nos in jaciendæ cujuscumque aleæ decreto persistimus, freti Dei auxilio, tria omnino capita, Antonius (a *Sancta Fide* Sinensis, in collegio educatus), et Christophorus, et ego tertius. Ora plurimum pro nobis divinum Numen, nam periculum diræ servitutis præsentissimum adimus. Sed consolatur nos hoc reputantes quod persuasissimum habemus, longe præstare captivum et vinctum esse solo Dei amore, quam libertatem, quantumlibet jucundam, fuga laborum Crucis Christi ignava ingrataque emere.

Si forte contingeret mercatorem Sinam, ex quo spes nostri Cantonem trajectus pendet, aut metu aut alia ex causa consilio mutato, fidem fallere, in tali jam nunc eventu constitui navigare in Sionis regnum, cujus cursus præsens facultas adest. Causa consilii est quod comperi adornari navem illic Cantonem ituram, intra quam me insinuans, si Deus faverit, appellam ante annum vertentem in tot votis optatum littus.

Salutabis a me perofficiose amicos illic nostros omnes, præsertim Vincentium Viegam; (eosque rogabis ut me Domino nostro commendent, qui vobiscum maneat, me comitetur,) et Deus Do-

minus noster nos in Paradisi gloria conjungat. Vale.

Ex hoc Sancianensi portu, pridie Idus Novembris Anno MDLII.

Tuus in Christo Frater,

FRANCISCUS.

EPISTOLA XV.

PP. Francisco Perezio et Paulo Antonio Herediæ Soc. J.

Perezio jubet ut se Cocinum conferat, ejusque præsit collegio; Herediæ, ut ad Barzæi nutum ad Japonicum aliudve iter se comparet.

PATER Francisce Perezi e Societate Jesu, impero tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut statim a viso hoc meo mandato, te conferas Cocinum, navibus hoc anno illuc ituris, ducens tecum Joannem Bravium, itemque Bernardum si ita tibi videbitur; et ex die quo Cocinum attigeris, capessere regimen incipias collegii Societatis nostræ, quod in ea urbe est; ibidemque exerceas ministeria concionandi, confessiones audiendi, et alia bona opera, prout faciebas Malacæ, juxta

mandata tibi ea de re scripto a me edita; aut etiam juxta formam quam olim præscripsi Antonio Herediæ collegium Societatis Cocini gubernanti.

Tibi quoque, Antoni Heredia, sive quis alius rector erit collegii Cocinensis cum eo Franciscus Perezius adveniet, mando in virtute obedientiæ, ut statim modo nominato Patri Francisco Perezio præfecturam istam hactenus administratam cedas; ita ut ex tunc ille incipiat quam optimo jure rector esse familiæ istius; tuque, aut quicumque alius ante id collegium regebat, prima quaque occasione te conferas Goam, ibique te compares ad iter Japonicum, statim ac præscriptum tibi fuerit, capessendum; vel eundum quocumque, ac faciendum quidquid jusserit Pater Magister Gaspar Barzæus, rector collegii Goani.

Sic enim ut faciatis omnes ex animi mei sententia decerno, et pro potestate jubeo; in cujus rei fidem huic mandato manu mea subscripsi.

In portu Sancianensi, pridie Idus Novembris, Anno MDLII.

FRANCISCUS.

EPISTOLA XVI.

Jacobo Pereriæ.

Commemoratis beneficiis ab eo in se collatis, fausta omnia illi adprecatur et adsciscit. De legatione in annum consequentem destinata, ac de præsenti spe Cantonem per Siami regnum appellendi. Francisci Pereiræ, aliorumque apud Sinas infortunium dolet; mutuum in Sinis conspectum, vel certe lætos de rebus ejus nuntios desiderat.

QUOD ad te, domine, nunc quidem scribam, aliud admodum non habeo præter iteratas, et, quantumvis multiplicentur, nunquam exhausturas immensum debitum, professiones grati mei erga te animi, propter nullo fine aut modo in dies et horas singulas, inundantes in me gratias humanitatis et charitatis tuæ, quas excogitasti quomodo etiam absens exerceres, vicaria sedulitate ministrantium mihi, et præsenti obsequio inservientium, familiarium tuorum.

Hos inter Thomas Scandelius procurator tuus tanto amore ac liberalitate dat mihi quæcumque peto, ut facile appareat conscium tibi participemque esse illum benevolentissimi erga me affectus, quo non paratissimus modo es, sed etiam cupis ac quodammodo gestis, donare mihi semper plus quam postulem, et ultra quam egeam.

Rependat tibi utinam qui solus potest, Deus Dominus noster, quod me imparem solvendo, debere quamdiu vivam erit utique necesse; atque hujus debiti si minus sortem unquam refundam ac caput, saltem usuram velut quamdam et quotidianam mercedem non omittam tibi, prout valuero, quoad vivam pendere, Deum Dominum nostrum assidue orans, ut te ab omni malo custodiat, nec permittat excidere unquam in hac vita sua gratia; sed ita te vegetum semper ac florentem inter valetudinis ac jacturarum rei familiaris varia discrimina conservet in fide, ac diligentia suæ sanctæ Religionis divinique obsequii, ut merentem aliquando coronare Paradisi sui gloria tuam animam possit.

Et quoniam quantumvis in hoc coner mihi parum satisfacio, succenturio mihi auxiliarem operam omnium Fratrum meorum Patrum Societatis Jesu, qui varie per Indiam Ecclesiæ sanctæ deserviunt; quibus cunctis, etsi per se id agere paratis, tamen calcar addens currentibus mandavi, ut et tibi velut singulari nostri Ordinis patrono, omnia verissimæ benevolentiæ officia persolvant; et eumdem te, tanquam columen christianæ Religionis in his partibus, quippe quo uno præcipue spes nitatur promulgandæ in regno Sinarum sanctæ legis Jesu Christi Dei Filii, lateque celebrandæ ipsius gloriæ, quotidianis orationibus et sacrificiis Deo enixe commendare non desinant.

Quamquam ipse optimus per se Dominus intime conscius tuæ incensæ in ejus obsequium volun-

tatis, et æquus æstimator tam utilium ad regni sui dilatationem tuorum operum, seclusa etiam suffragatione servorum, suapte sponte non deerit quin peculiari te resque tuas favore ac patrocinio semper amplectatur; et vota desideriaque fortunet ad tam sanctum finem juvandæ prædicationis evangelicæ, aggregandarumque ad Christi fidem animarum errantium, intenta.

Si negotium demandatæ tibi, domine, ab Indiæ prorege legationis ad Sinarum regem, exitum tandem prosperum in annum sequentem nancisceretur, age, quæso te, cum Patre Francisco Perezio meo jussu Goam navigaturo, ut illic impetret a Patre Gaspare Barzæo rectore collegii Goani unum e nostræ Societatis sacerdotibus, quem tecum, domine, solvens in Sinas duceres.

Huic vellem ferendas tradi sacras vestes exquisitioris pretii, quas, ut scis, ad illam profectionem paraveramus. Eas, disturbato negotio, reliqui Malacæ custodiendas Francisco Perezio, a quo illas poteris recipere, ostensis illi meis hisce litteris, quæ abunde fidem facient meæ circa hoc voluntatis. Calicem, partem illius sacræ supellectilis alteram, quem mecum huc extuli, mittam ad te per Thomam Scandelium, ut, si tibi videtur, ei quoque Patri tuæ legationis comiti tradatur.

Irem, domine, cum tuis Malacam, si sperarem te anno proximo in Sinas profecturum; nunc sequor verisimiliorem spem in Sinas hoc anno transmittendi, quam in mercatore Cantonensi constitui; quæ si (quod Deus prohibeat) me defi-

ceret, omnino jam decrevi adjungere me comitem Jacobo Vasio Aragonio, Sionis regnum, ut dictum est, petenti; unde facile confido me anno sequente, lembo sinico ex iis quos *Juncos* vocant, Cantonem appulsurum; atque adeo si tua, ut modo dicebam, legatio anno saltem sequenti cursum suum teneat, spero nos invicem (quanta mutua consolatione Deus scit) Comaii aut Cantone occursuros.

Scribe, oro te, ad me, si qua erit occasio, in Sionis regnum, quid constitueris; nam in omni eventu gratissimum mihi erit qui sit rerum tuarum status ex tuis litteris cognoscere.

De minutis singularitatibus conventionis nostræ cum mercatore Sinensi circa meam deportationem in urbem Cantonem, plura modo non refero, quod ea disserere tutius et jucundius fuerit re jam transacta; itaque illa exspecta litteris quas ad te spero me daturum Manueli de Chaves.

Si quid nostri Patres Malacæ, Goæ, aut uspiam conferre possent ad expediendum negotium tuæ legationis, adhibere illorum operam ne dubita. Franciscum Perezium, Gasparem Barzæum, alios omnes ubicumque fuerint, quidquid potuerint ad nutum exequi paratissimos habebis, utique qui præclare sciant quam id mihi cordi sit, sed (quod caput est) persuasissimum habeant esse totum istud negotium multo maximi momenti ad Dei Domini nostri gloriam, et redemptionem infelicium magno numero Lusitanorum, qui servitutem miserrimam in ergastulis Sinarum patiuntur: in quale infortunium incidisse nuperrime, tristissimo

quodam casu, summum meum amicum Franciscum Pereriam de Miranda modo audio, dolore meo sane maximo.

Sentio enim et nequidquam gratus recolo quantum illi viro debeam, ob multa magnaque humanissime nobis impensa officia et beneficia, cum Firandi apud Japonem una nobiscum esset, habens secum numerosam comitum, quibus præerat, pariter benevolorum manum.

Litteras quas dominus prætor Indiæ regi Sinarum a te reddendas dederat, imprudens mecum huc tuli. Eas ad te cum his remitto.

Iterum rogo, ne, domine, gravere litteras ad me in regnum Sionis dare; nam plane, ut jam significavi, certum mihi est, si spes (quod absit) a mercatore Sina evanesceret, in regnum Sionis tendere, et viam illam penetrandi ad Sinas tentare; quam si saltem fortunare Deus Dominus noster dignabitur, ibo exspectatum te scilicet in aula regis Sinarum, nisi vinctus Cantone detinear.

Omnino, inquam, si qua mihi propitio Superum favore pandetur adeundi Sinas via, in altero diversissimorum inter se locorum, dissimillimarum vitæ conditionum ac statuum me reperies, aut captivum in Cantonensi carcere, aut Pechini (qua in urbe commorari regem Sinarum aiunt) operientem adventum tuum, et quasi anteambulonis aut metatoris tui fungi officio conantem.

Verbum non addam, postquam rem verissimam affirmavero, tanto me teneri desiderio sciendi quid agas, ut valeas, quo loco res et spes tuæ sint,

ut si essem locuples, talium nuntios auro contra non caros habiturus; quin et pretiosissimorum profusione donativorum promptissime fuerim empturus: præsertim cum ex Christi Jesu prono in te, quantum intelligo, favore confidam ea me de te a vera referentibus cogniturum, quæ maxime cupio.

Deus Dominus noster, si quidem ad sui sancti obsequii rationes ita expedire noverit, nos in Sinensi regno videre invicem annuat. Sin aliud ipsi forte decretum est, in sui certe nos congreget felici statione Paradisi. Vale.

Sanciano, pridie Idus Novembris Anno MDLII.

Tuus servus et summus amicus ex animo,

FRANCISCUS.

EPISTOLA XVII.

P. Gaspari, rectori collegii Goani.

Malaca non est Perezio digna, in qua excommunicationes duabus de causis rite pronuntiandæ. Ineptos in Societate non ferat, etsi relinquatur ipse solus. Diaboli conatus, ne Societas in Sinarum regnum invadat, et Xaverii superbiæ illius frangendæ studium.

Gratia et charitas Domini nostri Jesu Christi sint semper in nostris animabus. Amen.

SCRIPSI ad Franciscum Perem, ut Malaca discederet quamprimum, et cum omnibus sociis in Indiam se reciperet. Etenim nunc quidem tanto bono videtur indigna civitas illa, quæ causa fuerit tanti mali; quippe cum nostrum iter in Sinas, divinæque gloriæ amplificationem per summam injuriam impediverit.

Iterum tibi mando ut recentissimum illud meum mandatum summo studio diligentiaque conficias, hoc est, ut transigas cum episcopo, uti Malacæ excommunicationes rite pronuntiandas curet, in quas inciderunt ii qui nostro itineri obstiterunt, siquidem Legati Apostolici nomine Sinas petebam.

Id adeo mihi curæ est duabus de causis: primum, ut Malacensis præfectus intelligat quam grave in se admiserit scelus, et quam gravem pœnam incurrerit: ne posthac is sit in alios, qui in me fuit; deinde, ut nostri Ordinis homines, qui deinceps rei christianæ causa Malacam, Molucum, Japoniam, Sinas petent, retinere audeat nemo. Et quoniam plerosque homines hodie magis hominum pudet quam Dei, quicumque ejusmodi sunt, tantæ notæ atque ignominiæ metu a tam projecta audacia absterreantur.

Illud etiam te oro ut cætera, quæ tibi reliqui præcepta, serves diligenter; maxime vero, ut paucos in Societatem, eosque idoneos adsciscas; adscitos autem diu multumque spectes ac probes,

eorumque virtutis periculum facias et sæpe et accurate. Vereor enim ne multi et jam admissi sint, et quotidie admittantur in Societatem, quos dimitti excludique præstaret. Quare istiusmodi hominibus talem te præstes velim, qualem ego et Goæ multis, et hic comiti meo me præstiti; quem cum minime aptum esse perspexissem Societati, exemi atque dimisi. Hoc tu quoque institutum sedulo et constanter tenebis; sic prorsus ut nullus te casus ab incœpto deterreat, vel si relinquaris ipse solus.

Quam iniquo animo ferat diabolus Societatem in regnum Sinarum invadere, nullis verbis exequi possum. Id ego tibi liquido affirmare queo (neque enim ullus relinquitur dubitationis locus) humani generis hostem nullo modo ferre posse aditum nobis in hoc regnum patere. Nam incredibile est quibus ille, quam multis modis et pugnarit et pugnet, nostros ut conatus avertat.

Verumtamen magnam in spem ingredior fore ut Christus Dominus noster Satanæ insidias eludat omnes. Ac sane magno illi honori et gloriæ, per homuncionem ingentes diaboli illos spiritus comprimi, intolerandamque superbiam frangi.

Deus id nobis pro sua infinita bonitate largiatur, idemque et tecum maneat et me comitetur, atque omnes pariter perducat in cœlum.

Idibus Novemb. MDLII, ex portu Sancianensi.

EPISTOLA XVIII.

PP. Francisco Perezio Malacam, et M. Gaspari Barzæo, Soc. J., Goam.

Canonicam declarationem excommunicationis in Malacensem præfectum impetrandi modus atque rationes; tum ordo exequendi; totum hoc negotium necessario ac sedulo accurandum. De trajectu in Cantonem, seu Siamum, ejusdemque obstaculis eadem fere, quæ in superioribus epistolis. M. Gasparem ne suo desit officio graviter monet, præsertim in deligendis probandisque Sociis.

TIBI, Pater Francisce Perezi, soluturo, prout antea mandavi, versus Indiam ex urbe Malaca, enixe per has mando magnopereque oro, ut missis his ipsis meis Goam ad Gasparem nostrum litteris, per eum aliosque qui sunt illic Socios impetrari quamprimum cures a domino episcopo canonicam declarationem excommunicationis, in quam incurrit Alvarus præfectus Malacensis, ob impeditam profectionem meam in Sinas.

In ea re sic procedi debere censeo: adeatur a nostris cum dominus episcopus, tum ejus vicarius, utique ostendantur Bullæ pontificiæ circa institutionem, confirmationem, et privilegia Societatis Jesu. Exhibeatur etiam seorsum Breve pontificium in pergamena charta, promendum ad

hoc ex arcano collegii *Sancti Pauli* apud Goam tabulario, quo Brevi me nominatim Summus Pontifex creat et constituit Legatum suum in his partibus Indiæ.

His visis, rogentur ambo ut quoniam contra manifestum in contrarium Societatis Jesu, vi pontificiorum diplomatum, et meum privatim jus ob rite collatam mihi auctoritatem Legati Sedis Apostolicæ, dominus Alvarus Gama præfectus urbi Malacensi per vim obstitit, ne in regnum Sinarum prædicandi causa Evangelii me conferrem; et quam ad id facultatem a domino Indiæ prætore rite perscriptam demonstrabam, flocci fecit irritamque rebelli contumacia reddidit; contemnens præterea præsentem auctoritatem, jus meum et domini nostri regis non dubiam in id voluntatem asserentis domini Francisci Alvari, tum arci regiæ sitæ in urbe Malaca præsidentis, supremique insuper quæstoris et ærarii custodis, cui obedire præfracte abnuit.

His sceleribus quoniam is, præter crimen perduellionis in regem, etiam ecclesiasticum anathema Bullis pontificis intentatum, haud dubie conscivit: petere nos ut id ipsum declaretur ritu solito, et in eo loco, ubi piaculum istud patratum est, ejus auctor palam denuntietur segregatus a communione catholica, et ab Ecclesiæ corpore tam nefarii facinoris merito resectus.

Mittatur autem diploma domini episcopi hoc clare indicans Malacam, cum ejusdem litteris ad suum proepiscopum ibi residentem, quibus eum

jubeat curare ut e sacro pulpito, ad congregatum die dominica populum in ecclesia, suæ istæ de more litteræ recitentur.

Hoc cur per vos postulari et reipsa sic fieri omnino velim, duplex mihi causa est. Prior, quia cupio quantum possum ipsi illi, cujus me miseret, consulere tam acerbæ injuriæ auctori; nempe, is adhuc ignorat in quantam perniciem inciderit, quem est verisimile, per declarationem publicam diri, quod suum in caput temere attraxit, anathematis, quodam horrore tantæ calamitatis excitandum in aliquem forte sensum pœnitentiæ, qui ei salutis initium esse possit; curam utique injiciens emerendæ legitimis piaculis ab Ecclesia, per ei præpositos, canonicæ absolutionis.

Altera quæ me ad hoc impellit ratio pertinet ad prævertendos in posterum tam perniciosos Evangelicæ prædicationi ausus improborum hominum. Video enim usu plerumque venturum ut Apostolici operarii Societatis nostræ in variis Indiæ portubus opportunitates nanciscantur navigandi, promulgandæ Christi legis gratia, in Japonem, Molucum, aut loca similia; quos, qui habent in iis locis potestatem præfecti regii, avaritia, invidia, seu quo alio furore in transversum acti, ludificare ac frustrari, prout mihi contigit, possent.

Ne id ergo isti se impune attentaturos autument, infamandum fœdo eventu noxium exemplum est, et tanta ignominia deformandum, ut quos Dei respectus parum movet, judicia hominum, macula

nominis, stigmaque velut inustum fronti ad summum dedecus absterreat.

Compertum habeo quosdam istorum eo in talibus ruere fidentius, quod nefariis id genus factis quantæ sint pœnæ constitutæ, partim non meminerint, demersis in sordidas curas animis, partim etiam christianæ disciplinæ pudendum in modum rudes ignorent. Horum objici admoverique semel sensibus oportet experimentum ecclesiasticæ severitatis constitutum in illustri capite, quo admoniti cunctentur aliquantulum, dum instigabuntur ad attentandum religioni noxium facinus, et gnari quanto in istis periculo peccetur, licentiam formidine coerceant.

Has domini episcopi, vel ejus generalis vicarii litteras exortem sacrorum et diris devotum præfectum Malacensem declarantes, deportet Malacam Joannes Beira, vel quicumque alius nostrorum eo se conferet soluturus inde versus Japonem; ibique Malacæ in manus tradat proepiscopo; qui ne moram exequendi quod opus est faciat, exorandus erit dominus episcopus, ut vel ipse per se, vel jussu ejus ac nomine vicarius ipsius, epistola in id propria, proepiscopo Malacensi sub anathematis pœna imperet, ne promulgare differat in ecclesia excommunicationem contractam a domino Alvaro.

Vos vero, per Deum, cavete ne hoc meo mandato negligendo gravissimum violatæ obedientiæ consciscatis crimen. Facite autem ut ante annum vertentem vestris litteris cognoscam qua vestra

diligentia, quove successu totum hoc negotium accuraveritis.

Me quod attinet, dum hæc scriberem hic stabam in anxio procinctu trajectus ex insula in continentem Sinicam. Cursus est propter rerum præsentes angustias perærumnosus, tum ob præsentissima pericula gravium malorum supra modum anceps, et sævis terroribus æstuans. Quo tandem sit alea casura, pendeo equidem incertus animi; certus tamen consilii, nec non arcana vigens fiducia successus, eventu qualicumque, tamen in bonum aliquando profecturi.

Spes Cantonensis portitoris in horas exspectati, si me ad extremum, quod absit, deficeret, deliberatum, ut dixi, habeo navigare in Sionem, unde transmissionis in Sinas nonnulla facultas ostentatur. Ea quoque si casu quopiam evanesceret, tum sane reflecterem cursum in Indiam. Sed auguratur animus opus eo extremo consilio haud fore, credere pertinax ratas futuras priores spes, me voti compote aliquando ad Sinas appulsuro.

Unum vobis, mihi plane certissimis compertum argumentis, omni asseveratione confirmo persuasissimumque volo esse: incredibiliter exhorrescere diabolum Societatis Jesu ingressum in Sinarum regnum; apparet omni ejus rei conatu tangi velut pupillam ejus oculi, ita impotenter efferatur, sic se in adversum arrigit, adeo vehementibus contra furiis erumpit. Accipite hunc a me indubitatissimum nuntium ex hoc portu Sancianensi; ubi cum in singula momenta admoliri eum nobis

tot alia super alia, velut semper prioribus diffisum, Sinici trajectus obstacula sentiam, quot enumerare aut fando exequi si coner, nullus finis sit; clare videlicet intelligo cani classicum in castris Tartari, consternatosque malos dæmonas universos in armis, pro suo quasi vallo, contra nos stare.

Sed et illud nihilo vobis minus liquido perspectum esto: certo confidere me fretum utique auxilio, gratia, favore nusquam defuturis Dei Domini nostri, fore omnino ut Jesus Christus noster Redemptor ac Dominus, irritum immanis voti, ac spei cassum insanæ, salutis humanæ hostem, orbis universi ludibriis exponat; tanto illustriore divinæ ipsius Majestatis gloria, quanto viliore usus ad rem tantam instrumento, me videlicet omnium despicatissimo, superbissimum illum genium tanta sui opinione subnixum dejecerit, ac risui propinaverit incomitiatum et explosum.

Te deinceps hic proprie appello, Magister Gaspar, orans etiam atque etiam ut memineris summa diligentia cuncta exequi, quæ tibi discedens partim voce præcepi, partim scripto complexus in chartis tradidi. Horum cave oblivio tibi obrepat quominus effecta reddas in tempore singula; quod forte me mortuum autumans, tibi videaris juris tui factus, nec meo amplius obnoxius imperio.

Recolo pari occasione meæ longinquæ absentiæ quosdam istic errore simili prolapsos. Atqui ego quidem non prius moriar quam Deus me mori voluerit; diu profecto est quod mihi vita tædio, mors in voto est; frustra tamen humana curiositas

conflictetur circa horam mei obitus, quam æterno utique decreto fixam, nec præcipere nec morari vanæ opiniones queant. Hoc monitum eo pertinet uti ne nimis tribuendum judicio tuo putes, prout alias, si recordaris, tibi excidit aliquid indulgere proprio sensui contra præscriptiones meas; in quo remne acu tetigeris, an ratio te fugerit, Deus scit. Nollem anno forte proximo revertens, istic invenire quod foret necesse castigare.

Advertesis animum ad quod mox addo. Admittendorum in Societatem habeas, moneo, severissimum, pene dixero fastidiosissimum, delectum: qui pauci examinis, ut sic dixerim, præliminaris acerrimis indagationibus satisfecerint, ii rursus explorentur cunctis per ordinem experimentis domestici tyrocinii; nempe aliquorum ultra rudimenta progressorum eos mores video, qui me cogant diffidere judiciis quibus probari potuerunt, homines (ut res demonstrant) tales, quos domo extrudi famæ ac quietis nostri ordinis interest.

Ejusmodi exemplum vitare non potui quin ederem in Alvaro Ferreria; quem a me deletum ex albo Sociorum cave, istuc si venerit, domo recipias. Ad transeundum in aliam Religiosam Familiam consilio licet hominem operaque adjuves. Reditum in Societatem quantavis instantia poscenti ne indulgere possis unquam, scias te quam mihi debes obedientia prohibitum; nam ex animi mei sententia pro potestate veto ne Alvarum Ferreriam domum admittas, quem scio ad Instituti nostri rationes minime accommodatum.

Si quo casu hæc epistola alium Goæ rectorem quam Gasparem Barzæum reperiet, is rector, quicumque fuerit, quæ Gaspari mandabam sibi perinde præscripta intelligat.

Ex portu Sancianensi, Idibus Novembris Anno MDLII.

FRANCISCUS.

APPENDIX.

Sequens Epistola reponenda esset in primo volumine, pag. 86, *ante scilicet Epistolam IV.*

M. Simoni Roderico.

Xaverii in scribendo et commendando sedulitas, in contemnendis periculis magnanimitas, et in Deum fiducia; litterarum de statu Societatis desiderium.

Gratia et amor Christi Domini nostri adsit semper nobis auxilio et favore. Amen.

NE mirere quod scribam ad te sæpius. Nam et multi sunt qui hinc ad vos proficiscentes, litteras a me quas ad te perferant, petunt; et ego

perlibenter omnem occasionem arripio compellandi tui: utique confidens fore ut quæ a me scribuntur fructu animi mei magno, a te, pro amore mutuo, legantur non sine voluptate.

Qui tibi hanc reddent epistolam duo viri honesti sunt ac probi, optimique christiani, cives Malacæ urbis, ubi domicilia et familias habent. Causa illis fuit istuc navigandi cura exsolvendi se certis officiis obsequiisque ad quæ adstringebantur. Narrabunt tibi multa de Malaca civitate, de laboribus in ea nostrorum, et fructu qui ex iis provenit, quæ habent perspectissima utpote cunctorum testes oculati.

Ferunt etiam litteras Patris Francisci Perez, quibus puto illum, uti se facturum recepit, fuse, distincte, ac minutim explicare quo successu functiones Instituti nostri propriæ illic exerceantur. Nec tacebunt de Sinicis Japonicisque rebus; in ea enim urbe diu fuerunt, quæ commerciis illarum terrarum et gentium opportuna, optime omnium novit quid in iis geratur.

Mirari se multum aiunt amici mei ac familiares omnes, quod navigationi tam longinquæ tamque periculosæ me committam; sed miror ego magis modicam illorum fidem. Habet in manu ac ditione sua Deus noster tempestates marium Sinici et Japonici, quibus vehementiores negant uspiam ullas existere. Subsunt ejusdem potestati venti omnes, scopuli, syrtes ac brevia, quæ plurima insidiosissimaque, ac infamia naufragiis ibi feruntur esse. Imperio idem suo continet piratas omnes,

quorum illic infinitum numerum prædicant, eorumdemque immanissimorum, quique soleant exquisitis enecare cruciatibus quos capiunt, præsertim Lusitanos.

Cum igitur Deus Dominus noster sub sua ditione teneat hæc omnia, a nullo eorum quidquam timeo. Deum ipsum metuo solum, ne ob meam in ejus obsequio negligentiam, quodque ineptus inutilisque mea culpa sim in regno ac nomine Jesu Christi Filii ejus inter gentes quæ ipsum non norunt proferendo, juste castigandum decernat. Extra hunc, omnes illos alios metus, pericula, labores, quæ tam formidolose amici certatim intentant mei, non facio nauci, et securus rideo; unusque in me Dei timor cunctos creaturarum metus extinguit; quippe quas nocere nemini scio posse, nisi cui et quatenus Conditor ipsarum incommodare permiserit.

Redeo ad duos nostros, oroque te, pro eo quantum Dei ac Domini nostri amor atque obsequium tibi cordi est, ut paucis diebus quibus Ulyssippone futuri sunt, eos foveas, hospitio commodo excipi cures, in cunctis adjuves, prout poteris et res exiget.

Ac cum, auditis quæ multa illi vobis de India narrabunt, ipsos confectis negotiis remittetis huc, fac eis deferendas ad nos tradas longas et accuratas litteras, quæ nos omnia doceant de cunctis Societatis nostræ Patribus ac Fratribus, qui in Italia, Gallia, Belgio, Germania, Hispania, et Aragonia sunt: nominatim autem de benedi-

cto et mihi singulariter caro collegio Conimbricensi.

Has tu litteras Malacensibus nostris inscribas censeo. Illis enim tradita earum autographa ab his duobus indidem civibus ad sua reducibus, servabuntur ibi; et exscripta ex iis exempla ad nos e Malacensi portu, unde singulis annis multæ in Sinas et Japoniam naves solvunt, tot mittentur viis, ut per unam harum aliquam successum habituram ad nos perventura sint.

Deus Dominus noster nos conjungat in sua sancta Paradisi gloria. Amen.

Kalendis Februarii Anno MDXLIX.

Tibi deditissimus et tui amantissimus in Christo Frater,

FRANCISCUS.

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.

Ep

Epi

Epi

Epi

Epi

INDEX GENERALIS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.

LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

TABLE EXPLICATIVE

DES NOMS PROPRES ET DES TERMES GEOGRAPHIQUES

Aceni piratæ. Les pirates d'Achem, petit royaume au nord de l'île de Sumatra.

Adamus. François Adami, S. J.

Adigares, adigarum. En tamoul "adigarên" ou "adigâri", signifie qui a autorité, ou juridiction, chef, magistrat. Les adigares étaient des magistrats chargés par le roi de Travancore de rendre la justice, et même d'exercer d'autres fonctions.

Agnezius. Anès, trésorier du roi de Portugal dans les Indes.

Alcacevam. Jean d'Alcaceva, S. J.

Alendale. En tamoul "Alândalei" ou "Alânduloi", village à 3 milles de Virapandiapatnam. On y compte aujourd'hui 1450 chrétiens paravers ou pêcheurs.

Alfaques. Alfaqui, docteur arabe.

Almasanus. D'Almazan, près de Siguenza en Castille. Le jeune homme d'Almazan était le célèbre Jacques Lainez.

Almerini. Almerim, ville de Portugal, sur le Tage, vis-à-vis Santarem.

Almirantes. Amiral. Le comte amiral, Vasco de Gama, le grand navigateur qui doubla le cap de Bonne-Espérance. Il eut quatre fils : Etienne Gama, gouverneur de l'Inde; Christophe Gama, qui fut mis à mort par les Sarrazins en Ethiopie ; Pierre Gama de Sylva, à qui la sixième lettre du septième livre est adressée; et Alvare Gama, qui fit opposition au voyage de St. François Xavier en Chine. Les deux derniers furent successivement gouverneurs de Malacca.

Amanguciو, Amangucium. Yamagutchi, capitale du Nagato, province au sud-ouest de la grande île du Japon. — *Amangucianus,* d'Yamagutchi. — *Amanguciani,* les habitants d'Yamagutchi.

Amboinum. Amboine, la plus considérable des îles Molu ques.

Amida. Nom d'un Bouddha.

Anius. Anès. *Voyez* Agnezius.

Araozius. Antoine Araoz, S. J.

Armuzia. Ile, ville et royaume d'Ormuz, sur le golfe Persique.

Artiaga. Jean d'Artiaga, séculier qui servait volontairement St. François Xavier.

Azpicuelta. D'Azpilcuete, nom de la mère, de l'oncle maternel (Martin d'Azpilcuete) et du frère aîné du Saint (le capitaine Jean d'Azpilcuete).

Atapatanai. Le mot "pattanam" ou "patnam", signifie ville, cité. Il est difficile d'identifier aujourd'hui la ville nommée Atapatanam par St. François Xavier: on pourrait peut-être la retrouver dans Adirampattanam, où se trouvent actuellement 200 chrétiens paravers, cadeyers (cultivateurs) ou sanars. Entre Adirampattanam et Vembar on rencontre sept villages dans lesquels habitent des chrétiens paravers et des cadeyers.

Badagi, Badagæ. Les Vadouguers ou Badaguers. Le mot "Vadougou" désigne le pays et la nation télinga au nord de la contrée tamoule. C'était le royaume du Narsinghe des Portugais, du Bisnagar ou Vizianagaram des Indiens. Les rois du Maduré et les autres du sud de l'Inde étaient ses tributaires, mais il fallait souvent envoyer des soldats vadouguers pour lever le tribut. De plus, au moment où écrivait St. François Xavier, les Vadouguers ou Naikkers venaient de remplacer les Pandyers sur le trône du Maduré. Ils n'entendaient pas perdre leurs droits sur les parties de leurs états qui s'étaient soumises aux Portugais, comme la Côte de la Pêcherie. De là des incursions armées de leurs troupes désignées sous le nom de Vadouguers (Badages), soit parce qu'elles étaient composées en grande partie de soldats de cette nation, soit parce qu'elles dépendaient d'un roi ou d'un chef vadouguer.

Bandam. Banda, groupe d'îles dans l'archipel des Moluques.

Bandua, Bandum, Banduensis, Bandensium. Bandô, de Bandô. Ancien nom des provinces du Japon, dont la ville de Yedo (aujourd'hui Tokio) était la capitale.

Barretus. Barreto.

Barzæus. Gaspar Barzée, S. J.

Bazaini. Baçaim, port de mer à 27 milles au nord de Bombay.

Beadalæ. Comme il y a dans le texte *apud Careas Beadalæ*, il semblerait qu'il s'agit de "Cadeyen Peyvihley", village à l'intérieur des terres à 6 milles de Comboutêrou ; néanmoins cette dénomination pourrait aussi s'appliquer à "Vedalai" près de Paumben, où le P. Antoine Criminalis aurait, dit-on, succombé sous les traits des Vadouguers ou Badages, dans une de leurs attaques.

Bearime. Il n'a pas été possible d'identifier ce lieu.

Bembaris, Bembare. "Vêmbâr" ou "Vêmbârou", aujourd'hui chrétienté de 800 chrétiens paravers.

Beterbemal. Nom d'un chef vadouguer ou badage, difficile à reconstituer en langue tamoule. Si on lisait *Betepermal*, on pourrait décomposer le mot en *Permâl* ou *Peroumâl*, nom très commun, et *vêden* ou *vîren*, brave.

Brachmanes. Brahmanes ou Brahmes, la première des castes de l'Inde.

Bravius. Jean Bravo, S. J.

Bononia. Bologne, en Italie.

Bonzii. Bonzes. En japonais "Bôdzu", religieux bouddhistes.

Borbanus. De Borba, ville du diocèse d'Evora en Espagne.

Borrallius. Borralho.

Botellus. Botelho.

Bungi, Bungum, Bungenis. Bungo, de Bungo. Province située au nord-est de l'île Kiou-chou, au Japon.

Buranus. Borralho.

Cabecatem. Il faut lire probablement "Calecatem", répondant au mot "Calacâdou", fort à 30 milles du cap Comorin, sur les frontières des royaumes de Maduré et Travancore, où il était facile aux Vadouguers (Badages) de se retirer après leurs déprédations.

Cacerezius. Cacerez.

Caciz, cacizes, cacizibus. Kacis, mot arabe qui signifie vieillard, ancien, prêtre.

Caelli veteris. "Câyel" en tamoul signifie petit bras de mer, lagune, embouchure d'un ruisseau ou d'une rivière où remonte la marée. Le vieux Câyel était autrefois un port de mer d'un grand commerce avec l'Arabie, le golfe Persique, et même la Chine, car Marco Polo y vint de ce pays dans une jonque. La mer se retirant peu à peu, la ville se trouve aujourd'hui dans l'intérieur des terres, avec une population

de 600 chrétiens paravers mêlés à des mahométans et des payens. Elle a été remplacée sur la côte par Câyelpattanam et Pouneicâyel, deux ports qui furent peuplés en partie par des habitants du vieux Câyel. *Voy.* Punicalle.

Cambaiam. Cambaye, ville sur le golfe du même nom, à l'est de Guzerate et au nord de Bombay. Son port est devenu inabordable par les alluvions, et sa population est tombée de 160000 à 10000 habitants.

Camers, Camerti. De Camerino, ville d'Italie, dans les Etats-Romains.

Canacapulam, canacapulas. En tamoul "canakkapoullei", écrivain, teneur de comptes. *Voy.* Canacar. Ici il s'agit de catéchistes qui s'appellent aujourd'hui "covilpoullei."

Canacar. En tamoul "canaken", peut signifier un homme de la caste des Canakers, ou un employé dont la fonction est d'écrire, de tenir les comptes, principalement pour les impôts et revenus.

Cangoxima. Kagochima, capitale de la province de Satsuma, au sud de l'île de Kiou-chou, au Japon. — *Cangoximani,* les habitants de Kagochima.

Cantonium. Canton, ville de Chine.

Careapataum, Careapatanum, Careapatanenses. Cadeyapattanam, dans le Travancore.

Careas, carearum. "Careyan" (de "carey", rivage) signifie en tamoul un homme de la caste des pêcheurs, habitant des bords de la mer. Comme dans les lieux évangélisés par St. François Xavier on trouve beaucoup de "cadeyers" ou cultivateurs, on pourrait dire peut-être qu'il s'agit d'Indiens de cette caste, la lettre *r* ayant pris la place de *dh,* comme cela est arrivé dans d'autres mots, par ex.: Tuticurinum (Toûtoucoudhi), Pudicurim (Poudoucoudhi).

Carpensem cardinalem. Le cardinal Carpi.

Carvallius. Carvalho.

Casalius. De Casal.

Castrium. De Castro.

Cathaium. Le Cathay, nom donné au Moyen-Age à la Chine septentrionale, qui avait pour capitale Cambalu (Pékin).

Caturem, Catamaram. Ces mots signifient évidemment un grand navire qui s'appellerait aujourd'hui "Cappel." — "Cattoumaram" désigne un radeau, un assemblage de pièces de bois liées ensemble.

Ceilanus insula. L'île de Ceylan. — *Ceilanii,* les habitants de Ceylan.

Celebes. Célèbes, grande île de l'Océanie, à l'est de Bornéo, et au sud des Philippines. Elle donne son nom à un groupe d'îles.

Cenicum oppidum. La ville de Cenic. — *Cenicea, Cenicensis,* de Cenic. Impossible de retrouver cette ville.

Chavesius. De Chaves.

Choranum. Choram, petite île à une demi-lieue de Goa. — *Chorani,* les habitants de Choram.

Choromandelem, Choromandelis, Choromandelo, Choromandelensi. De Coromandel (de "Choras mandalam", résidence des Choras). Côte sud-est de l'Inde en deçà du Gange, depuis l'embouchure du Krichna jusqu'au cap Calimère.

Cinceum, Cincei. Tchin-tcheou, port de la province du Fokien, en Chine. — *Cinceorum prædonum,* pirates de Tchintcheou.

Cocini, Concinati. Cochin, en tamoul "Cotchi", ville de la Côte malabare, siége d'un évêché portugais, quoique la ville soit soumise aux Anglais. Il y a encore aujourd'hui un roi de Cochin, qui habite près de la ville, sur son propre territoire.

Codacius. Pierre Codace, S. J.

Coellius. François Coelho, prêtre séculier.

Cojana. De Koya, au Japon. Il n'est pas possible d'identifier cette ville.

Colani, Colanum. En tamoul "Coulam" ou "Collam", Quilon, ville et port dans le Travancore, à 102 milles du cap Comorin, siége d'un évêché. — *Colanensi,* de Quilon.

Comai. Ke-moi, petite île vis-à-vis d'Amoy, dans la province chinoise du Fo-kien.

Combuture. "Comboucareyoûr" ou "Comboutêrou", petit village qui possède une ancienne église, et qui est habité par une cinquantaine de chrétiens cadeyers. Il est situé à 2 milles de Câyelpattanam. *Voy.* Caelli.

Comorinum promontorium. Le cap Comorin, en tamoul "Coumari". — *Comorinenses,* les habitants du cap Comorin.

Conimbricæ. Coïmbre, ville du Portugal.

Consalvus. Gonzalvès.

Constantinus. Lexique grec-latin, publié à Genève par Robert Constantin.

Corneus. Le docteur Cornet.

Coulani. *Voy.* Colani.

Coyana. *Voy.* Cojana.

Cranganor. Ville sur la Côte de Malabar, à cinq lieues au nord de Cochin.

Crucius, A Cruce. Da Cruz.

Cyprianus. Cypriano, S. J.

Daius (Deus). Les Bonzes pour rendre ridicule la Religion chrétienne, prononçaient *dai uso,* mensonge.

Diazius. Diaz.

Dio, Dium, Diensi. Diu, petite île et port à l'extrémité de la presqu'île de Guzerate, au nord de Bombay.

Duartes. Edouard.

Duro. D'Eyro.

Ebora. Evora, ville du Portugal.

Enaqu-venum. En tamoul "enakkou vênhoum", il me faut, je veux.

Faber, Fabrum. Le B. Pierre Lefèvre, S. J.

Fanam, fanaos, fanaios, fanoes, fanoum. Fanon, en tamoul "panham", monnaie d'or indienne. Trois fanons et demi font aujourd'hui une roupie. Il y a aussi le fanon d'argent, qui équivaut, à Pondichéry, au huitième, et ailleurs, au quart d'une roupie.

Fernandus, Fernandem, Fernandius, Fernandinus, Ferdinandus. Fernandez.

Ferranum. Ferram.

Firandi. Hirado, île du Japon, à l'ouest de Kiou-chou.

Fissonia, Frenojama. Hiyezan, montagne sur les bords du lac d'Otsu, au Japon.

Freita. De Freitas.

Gentilis. Gentile.

Goæ, Goanum. Goa, capitale des Indes portugaises. — *Goenses, Goensium,* les habitants de Goa.

Gomezius, Gomes, Gomen. Gomez.

Gonsalis. Gonçalez.

Gonzalvus. Gonzalvez.

Guarimus. Guarim.

Guidiccionius. Guidiccioni.

Guzarate. Le Guzerate, presqu'île au nord de Cambaye.

Hamacata. "Ama" en japonais signifie *bonzesse*, et "kata" indique le pluriel.

Henricus. Henriquez ou Henri.

Homiana. Omiya (?)

Iniquitribirimi. La terminaison *birimus* représente le mot "Varmâ", titre de noblesse des rois de Travancore. Quant à la première partie du nom, elle a dû être dénaturée par les copistes. Udaya-Martanda-Varmâ fut roi de Travancore de 1537 à 1560.

Jaius. Claude Le Jay, S. J.

Jafanapatæ, Jafanapataniæ, Jafanapatensem. Jafanapatnam, ville de l'île de Ceylan, capitale d'un royaume du même nom.

Japon. Japonais.

Juncum, juncos. Jonque, navire chinois.

Lancellotus, Lancillotus. Nicolas Lancilotti, S. J.

Leguixi, Legioxos. "Reigyochi" (?) maître en observances religieuses, au Japon.

Liampo. Leang-pou, près de Ning-po.

Lisianus. Jean de Lizana, prêtre portugais.

Livare. Probablement "Koulasegarapattanam", petit port de mer près de Manapad, où il y a 800 chrétiens paravers. Le lieu s'appelle aussi "Levâdhi".

Macazares, Macazaria, Macazariensis. Ville et royaume de Macassar, au sud-ouest de l'île de Célèbes.

Machuas, machuarum. Les "moukkouvers" sont une caste de pêcheurs du Travancore. A Pondichéry, on donne aux pêcheurs le nom de "macouas".

Malabarem. Malabar, côte occidentale de l'Indoustan, au sud du Canara. — *Malavares*, les Malabares. — *Malavarice*, langage malabar. Ce mot désigne ici la langue tamoule, et non le maléalam, ou langue de la côte de Malabar.

Manapare. Manapad ou Manapar, en tamoul "Manhapâdhou", est aujourd'hui une chrétienté de 2300 paravers. Près de la mer, sur une petite élévation, s'élève une église dédiée à la Sainte-Croix, où les fidèles viennent en grand nombre le jour de la fête. Non loin de là, sur le bord de la mer, on trouve une grotte avec un puits d'eau douce, et une croix taillée dans le rocher. D'après la tradition, St. François Xavier aimait à venir dans cette grotte, et à y passer les nuits en prières.

Manaris insulæ, Manarem, Manaria insula. L'île de Manar, dans le détroit du même nom, entre Ceylan et la presqu'île indienne.

Mansilla. Mancias.

Martinus, Martinius. Martinez.

Mascarenia. Mascarenhas.

Mauri insula. Morocay, au nord de Gilolo, la plus grande des Moluques. — *Mauricenses,* les habitants de l'île du More. — *Maurica regio, Mauricas insulas,* Gilolo et les îles voisines.

Meaci, Meaco, Meacum. Meaco, ancienne capitale du Japon, aujourd'hui Kyoto. — *Meacenses,* les habitants de Meaco.

Mederes. Gonçalo de Medeiros, S. J.

Meliapore, Meliaporam. Méliapour ou Meliapore, en tamoul " Maila pouram ", (la ville du paon), près de Madras. Elle était aussi appelée St. Thomé, parce qu'on y découvrit en 1521 des reliques de St. Thomas, et plus tard, en 1548, une inscription qui désignait Méliapour comme le lieu du martyre de cet Apôtre. C'est aujourd'hui le siége d'un évêché portugais.

Melindæ. Mélinde, sur la côte d'Afrique, au nord de Zanzibar.

Mendezius. Mendez.

Meranguela. La tour Melangolo, au forum Margana, près de Sainte Catherine - des - Cordiers, à Rome.

Moluco, Molucus, Molucæ insulæ. Les Moluques, grand archipel entre la Papouasie et Célèbes, formé de trois groupes, celui d'Amboine, celui de Banda, et les Moluques proprement dites.

Monchurium. Moukkoûr, village de " moukkouvers " ou macouas (caste de pêcheurs), près du cap Comorin. Entre Taley et Moukkoûr on rencontre aujourd'hui des villages de chrétiens paravers.

Motio. La mousson.

Mozambicus. Ile et ville de Mozambique, sur la côte d'Afrique à la hauteur de Madagascar; elle donne son nom à la contrée voisine sur le continent.

Mudaliarem. "Moudeli" signifie premier chef; les Moudeliars sont une haute caste des Indes. Le mot semble pris ici pour un préfet qui pouvait appartenir à la caste des Moudeliars.

Mussiponti. Pont - à - Mousson.

Nare. Peut-être "Narei Kinher", où ne se trouvent plus aujourd'hui que des sanars payens. Ce village n'est pas éloigné de Manapar et de Livare.

Naires. Les "nâyers" sont la caste militaire de la côte de Malabar.

Negapatane, Negapatanis. Négapatam, en tamoul "Nâgapattanam", la ville du serpent capel; ou de "Nâga", espèce de demi-dieu.

Negruensis. En japonais "Neguro".

Nunnezius. Nunnez.

Nunnius. Nuno.

Obanum. Obanos, ville de la Navarre, à trois lieues de Pampelune.

Oliveræ, Oliveria. Oliveira.

Olyssiponem. Lisbonne.

Orracha. Arack, eau-de-vie indienne, distillée du jus du palmier.

Osorius. Ozorio.

Pagodes. Du sanscrit "pagavoda", sacré, dédié à la divinité. Ce mot signifie soit les temples payens, soit les idoles.

Paravam. Le Paraver. Les "paravers" sont une caste de pêcheurs.

Pardai, pardais, pardaos, pardorum. Pardam, monnaie portugaise en argent, de la valeur de 75 centimes. Elle portait d'un côté l'effigie de St. Sébastien, et de l'autre un faisceau de flèches.

Patamesses. Barques indiennes.

Patanai, patanaum. "Pattanam" signifie ville. Il s'agit probablement de Virapandiapatnam, que l'on désigne aujourd'hui habituellement dans le pays par le mot de Patnam.

Patangates, patangatini. En tamoul "pathankathi", mot-à-mot porteur d'un titre, signifie les chefs de village ou de caste, chez les paravers et quelques autres castes.

Pechini. Pékin, capitale de la Chine.

Pegadi. Pegado.

Peguano regno. Le royaume de Pégou.

Pereriæ, Pererio. Pereira.

Perezius, Perem, Pere, Pera. François Perez, S. J.

Picardus. Le docteur Picard.

Piscaria, Piscatoria ora. La Côte de la Pêcherie, ou simplement la Pêcherie, ainsi nommée de la pêche des perles. Elle s'étendait du cap Comorin au promontoire Ramesavaram, et était habitée par les paravers.

Præstejannes. Prêtre Jean.

Pudicarem, Pudicurimi. Poudoucoudhi, sur la rivière Taniraparni. (?) Poundourei ou Poudoucarei (?)

Pulam, Pulis, Pularum. Le mot "poullei" ou "pillei", qui signifie enfant, est le titre distinctif d'une caste de Vellages. Ces Vellages Pillei eurent une grande influence dans le Travancore, où on les voit exercer des charges de ministres et de chefs d'armée. Ils durent plus d'une fois imposer leurs exigences au roitelet de Travancore, malgré son titre de maha-radjah ou grand roi. De là probablement le nom de satrapes, que S. François Xavier leur donne en parlant de leur tyrannie.

Punicalle. En tamoul "Pouneicâyel", la lagune du laurier, ou "Pinnei Câyel", le Câyel d'après, le nouveau Câyel. (*Voyez ce mot.*) Le vieux Câyel est situé au nord de la rivière Taniraparni; et Pouneicâyel au sud, très-près de l'embouchure, sur le rivage de la mer. Pendant une cinquantaine d'années, ce fut le principal établissement des Portugais sur cette côte. Aujourd'hui c'est un simple village de pêcheurs, où se trouvent cependant 2200 chrétiens paravers.

Riberus. Ribeiro, S. J.

Rodericus. Rodriguez.

Ruyzius. Ruyz.

Sacaio. Sakaï, port du Japon, dans la baie d'Osaka.

Sanciani portus, Sancianensem portum. L'île de Sancian (*prononcez* Sam-Chan) nommée par les Chinois Cheoung-tchun (en langue mandarine Chang-tchuen).

Sanctius. Sanchez.

Scandelius. Scandelho.

Sina. Le Chinois.

Sincapurano freto. Le détroit de Singapour, où les Anglais ont créé en 1819 la ville du même nom.

Sionis, Sionense regnum. Le royaume de Siam.

Sofala. Sofala, sur la côte d'Afrique, au Monomotapa, dans le canal de Mozambique.

Socotora. Ile à l'entrée de la mer Rouge, dans le détroit de Bab-el-Mandeb.

Sondam. La Sonde, vaste archipel embrassant toutes les îles de Sumatra à Timor. Le détroit entre Sumatra et Java porte le nom de détroit de la Sonde.

Sosa, Sosæ, Sosam. De Souza.

Tale, Talem. "Talhei", village de pêcheurs, sur la côte, à 6 milles de Manapad; il possède aujourd'hui 200 chrétiens paravers.

Tanæ. Tana, place au sud de Baçaim.

Ternate, Ternatem. Ternate, l'une de îles Moluques.

Thomæi. Les chrétiens de St. Thomas.

Tollem. Tolo, partie de l'île Célèbes, sur la baie du même nom.

Tonos. En tamoul "tôni", barque, petit navire, caboteur.

Travancoris, Travancoridis. Travancore, royaume à l'extrémité sud-ouest de la presqu'île des Indes.

Trinchandure. Tiroutchendoûr, à 8 milles de la pointe de Manapad, et à 2 milles de Vîrapândhiyenpatnam. Village de 5000 habitants payens, avec une seule famille chrétienne; il possède une célèbre pagode où est honoré Soupramanien, et où accourent chaque année, au jour de sa fête, jusqu'à 100000 payens.

Turrianus. De Torrez.

Tutucurino, Tutuchurinum. Tuticorin, en tamoul "Toûttoucoudhi" ville et port de mer célèbre par la pêche des perles, à 90 milles du cap Comorin. Elle renferme 7000 chrétiens.

Ulyssipone. Lisbonne.

Vao-pinale. Ces mots ont dû être mal transcrits: il n'a pas été possible de les reconnaître.

Valentinus. De la ville de Valence.

Vasæus, Vazius. De Vaz.

Vichuam. "Vichuâsam" ou "virouvâsam", foi.

Viega. Viegas.

Villa Condea. De Villa de Conde.

Virandapatanaum. "Virapândhiyenpattanam", la ville de "Vira Pandien", à 5 milles de Comboutêrou, sur la Côte de

la Pêcherie. Elle compte aujourd'hui 1300 chrétiens paravers.

Xaca. Chakya-mouni, fondateur du Bouddhisme. On le nomme "Chaca" au Japon.

Yurea. Ivrée, en Piémont, patrie du cardinal Pierre-Boniface Ferrier, légat de Bologne.

NOTES, CORRECTIONS ET VARIANTES.

Abbréviations employées dans les pages suivantes :

Add. Addition. *Col.* Edition de Cologne. *Corr.* Corrigez. *Cut.* Cutillas, éditeur espagnol des Lettres de St. François Xavier. *L.* Ligne. *Louv.* Edition de Louvain. *P.* Page. *Pos.* Possinus, éditeur des Lettres du Saint. *Turs.* Tursellin, historien et éditeur des Lettres. *Var.* Variante.

Tome I.

Page 11. Les mots en italiques dans cette page sont tirés d'un autographe qui corrige les premières éditions.

Pag. 22, ligne 7. Cutillas retranche les mots : *octavo die a.*

— l. 23. Omnibus, etc. *Variante:* Vester in Christo minimus frater (Cut.).

Pag. 27, l. 19. Post aliquem ... studui spem. *Var.* post habitam de me aliqualem vel cognitionem, vel saltem umbram, studui spem.

Pag. 29, l. 18. Tuus, *probablement* Servus. — Quoadusque vixerit. *Var.* quoadusque vixero (Cut.).

Pag. 33, l. 8. XI Kal. Novembris (22 Octobre). *Var.* 12 Octobre (Cut.).

Pag. 36, l. 25. Monstravit. *Var.* monstratis (Cut.).

Pag. 37, l. 15. Nulla prævia suggestione. *Var.* Quin nos ei unquam verbum fecerimus nec per nos, nec per tertias personas (Cut.).

Pag. 53, l. 12. Opus fuerint. *Corr.* fuerit.

Pag. 57, l. 18. Solvimus. *Add.* in eadem proregis navi (Cut.).

Pag. 63, l. 22. Quærentes. *Corr.* querentes.

Pag. 67, l. 24. XII Kalend. Octobris (20 Septembre). *Var.* 18 Septembre (Cut.).

Pag. 70, l. 18. Una. *Var.* uno (Cut.).

Pag. 72, l. 25. V Kal. Novemb. (28 Octobre) 1542. *Var.* Tuticurino, 23 Maii 1843. (Cut.). Le Père Menchiacha adopte l'année 1543.

Pag. 79, l. 27. XII Kalend. Octobris (20 Septembre) 1542. *Var.* 18 Oct. 1543 (Cut.). Cette dernière date n'est pas certaine; cependant comme elle paraît se rapprocher plus de la vérité que la précédente, elle a été mise en cette place par le P. Menchiacha ; mais il a laissé subsister la date donnée par Tursellin, XII Kal. Octob. 1542.

Pag. 85, l. 13. XII Kal. Octob. (20 Septembre) 1542. *Var.* 20 Décembre 1543 (Cut.). Même observation qu'à l'alinea précédent.

Pag. 86, l. 14. Dans l'édition de Louvain la lettre commence par cette *variante:* Gratia et pax Jesu Christi Salvatoris nostri sit semper vobiscum, etc. — Cum elapsi duo sint anni, eoque amplius novem menses, quod a Lusitania petiturus Indiam solverim, ac ternas dum in India sum, ad vos litteras dederim, a vobis vero unas duntaxat receperim, quæ Idibus Januarii datæ An. 1542, mihi nunc duobus abhinc mensibus sunt redditæ: diutius mihi silendum non putavi, quin de propagatione fidei, cujus hic magna incrementa largitur Deus O. M., ac ratione instruendi rudiores in fide pauca ad vos transcriberem. Scribam autem ingenue ad vos, fratres in Christo Jesu dilectissimi, quæ Christus Dominus hisce novissimis temporibus per nostræ Societatis Patres dignatus est in salutem humani generis operari apud Indos. Polliceor autem mihi de vestra æquitate, quod non in vanæ gloriæ aucupationem sitis interpretaturi, quemadmodum qui nullius sibi virtutis conscii omnes esse sui similes optant, aut saltem opera Dei magnifica per alios gesta obscurant, aut etiam elevant malevole: sed potius quod ex grata (ut spero) lectione materiam sitis arrepturi gratias misericordi Deo agendi. Igitur Dominus Paulus, Franciscus Mansilla, et ego bene in Domino valemus. Paulus Goæ agit in collegio *S. Fidei* ubi strenue sane suo fungitur officio, ac

penes eum puerorum ibi habitantium est cura. Ego vero et Franciscus Mansilla annum jam et eo amplius sumus apud Christianos ejus regionis, quæ indigenarum lingua Comorin appellatur.

Pag. 86, l. 18. Idibus Februarii. *Var.* die 5 Februarii (Cut.).

Pag. 87, l. 16. Catechismum. *L'édition de Louvain et de Cut. donnent cette variante:* Complectebatur autem figuræ crucis vim, in personarum Trinitate unius Dei confessionem, Symbolum Apostolorum, decem mandata Dei, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Salve Regina, et confessionem generalem. His ita eorum lingua donatis, et altius mea in memoria fixis, obibam totam urbem.

— l. 21. Bis. *Var.* Diebus singulis quatuor dabam horas, duas orto jam sole, duas alias sub occasum (Louv.).

Pag. 90, l. 12. Symboli. *Var.* Et Decalogi in propria ipsorum lingua, cæterarumque precum, adhibita eorumdem idiomate exhortatione, qua ipsis declaro quam vim habeat Christiani nomen, quid sit paradisus, quid infernus, quinam huc veniant, quique illuc: atque in primis eisdem Symbolum ac Decalogum identidem inculco, quibus fidei nostræ summa continetur (Cut.).

Pag. 92, l. 29. Assignavit. *Var.* In eos conferenda, qui diligenter et accurate christianam doctrinam in neophytorum pagis docuerint, quos hic Canacapolas appellant (Cut.).

Pag. 98, l. 6. Audirent. *L'édition de Louvain donne cette variante:* Eos autem sedere jussi, ac sedentibus omnibus surrexi, stansque inter eos magna voce pronuntiavi.

Pag. 100, l. 2. Divina illa. *Var.* Decem præcepta in recondita illorum lingua conscripta. (Lucena et Garzia, historiens du Saint.)

— l. 6. Usurpant. *Var.* Oni ciri Marania. (Louv.) — On cerii Narayva Noma, hoc est, adoro te cum tua gratia et auxilio in æternum: Omnes citati; Quam submissa voce recitant, ne juramentum violent. (Lucena et Garzia.)

— l. 10. Adjecit. *Var.* Vetitum sibi jure naturæ habere plures uxores (Louv.) — Polygamiam, licet consentanea legi non sit, naturæ tamen permitti (Garzia).

— l. 20. Recepisset. *Var.* Postulavi a Domino Deo, ut mihi suggereret verba et sermonem, quæ in sacris

Litteris pondus et energiam habeant singularem : diligenter explanavi (Louv.).

Pag. 101, l. 10. Hisce de rebus. *Var.* Permulta adhuc forent scribenda, fratres mei, ni me temporis excluderet angustia, ac alio me multiplicia vocarent negotia ; unum duntaxat addam (Louv.).

Pag. 101, l. 23. Necesse est. *Var.* O si qui scientiis vacant tantum laborarent, ut his quoque deliciis et voluptatibus Deus eos aliquando dignaretur ! Quas non ærumnas suferunt, ut vanam hujus mundi sapientiam assequantur ? O si gaudia, quæ multorum animis oboriuntur ex rei alicujus novæ indagine, illis provenirent ex institutione proximi, operibusque caritatis, dum alios ea docerent, quæ sunt ad salutem necessaria, ab ovili lupos arcerent, nutantes, aut lapsos jam a fide corroborarent, et erigerent : quanto paratiores essent ad reddendam Domino rationem, quam exacturus est, dicens : *Redde rationem villicationis tuæ* (Louv.).

Pag. 102, l. 18. Sempiternam. *Var.* Anno elapso scripsi ad vos Sacrificiorum Missarumque numerum, quæ apud Indos jussu Domini Ignatii fecimus. Factorum vero hoc anno numerum non teneo (Louv.).

Pag. 103, l. 6. Pridie Idus Jan. (12 Janvier). *Var.* L'édition de Louvain donne la date du 15 Janvier.
— l. 7. Charissimus frater. *Var.* minimus frater (Cut.).

Pag. 144, l. 19. Contingerit. *Corr.* contigerit.

Pag. 172, l. 8. IV Idus Novembris (10 Novembre) 1544. *Var.* 8 Novemb. (Cut.).

Pag. 194, l. 10 et Pag. 200, l. 24. VI Kalendas Februarias (27 Janvier 1545). *Var.* 22 Janv. (Cut.).

Pag. 207, l. 13. VI Kalendas Febr. (27 Janvier). *Var.* 8 Fév. (Cut.).

Pag. 225, l. 22. X Kalend. Julias (22 Juin). *Var.* 5 Décemb. 1545 (Cut.).

Pag. 251, l. 15. Sex *Var.* septem (Cut.).

Pag. 252, l. 2. Navium. Cut. addit *octo.*

Pag. 253, l. 12. VI Idus Maias (10 Mai). *Var.* 8 Mai (Cut.).

Pag. 256, l. 17. Franc. Lisiano. *Var.* Joanne Lisano (Cut.).

Pag. 258, l. 21. Kalendis Maii. *Var.* Ineunte Aprili (Cut.).

Pag. 273, l. 30. VI Idus Maias (10 Mai) 1546. *Var.* 8 Mai. (Cut.) La lettre doit être de l'année 1547.

Pag. 280, l. 1. In opera, etc. *var.* Sodalitati Misericordiæ addicturum (Col.).

Pag. 293, l. 13. La lettre doit être de 1548.

Pag. 294, l. 6. Anno... MDXLVIII. *var.* Carissimi Patres ac Fratres in Christo Jesu, Anno MDXLVI (Cut.).

— l. 8. De insulis, etc. *Var.* De insulis Amboini, quæ absunt ab urbe Molucensi (Cut.).

— l. 10. In insula Amboino. *var.* In hac urbe Molucensi (Cut.).

Pag. 295, l. 4. Diffiderem. *Add.* Nam si locis vel septem simul adesse possem, ubique sacræ occurrerent occupationes (Cut.).

— l. 7. Illi. *var.* Septem illæ naves (Cut.).

— l. 14. Explicabam. *var.* Festo quoque die unum fidei articulum (Cut.).

— l. 24. Rudimenta. *Add.* Nimirum Symbolum, Pater noster, Ave Maria, Decalogum, Opera misericordiæ, Confiteor Deo, aliasque preces complures, omnia vulgari lingua (Cut.).

— l. 30. Inde. *var.* Exactis tribus mensibus, ex hac urbe Molucensi in insulas (Cut.).

Pag. 296, l. 14. Aspera. *Var.* Præruptis plena montibus (Cut.).

— l. 20. Arborum. *Add.* Quas Gagueros vocant (Cut.).

Pag. 297, l. 10. Javaros. *var.* Tabaros (Cut.).

Pag. 297, l. 17. Concutitur. *var.* Quod in eadem insula mons est, qui perpetuo (Cut.).

— l. 19. Rupes, etc. *En Espagnol:* Las sierras de piedra que estan debaxo de la tierra : montes saxei qui sunt subtus terram. *Tierra* en espagnol peut signifier le sol, la région, la ville. Il est évident qu'ici il n'a pas le dernier sens ; et par conséquent que le mot est mal traduit en latin ; il faudrait dire "regionem" ou "insulam" au lieu de "oppidum."

Pag. 298, l. 24. Festisque diebus. *var.* Reliquis hebdomadæ diebus præter quartam et sextam feriam (Cut.).

— l. 27. Inveherer. *var.* Vehementius objurgans, quod adorationem uni debitam vero Deo, dæmonibus exhiberent. Quarta... feria cum ad Lusitanorum uxores, tum ad indigenas (Cut.).

Pag. 301, l. 11. In Molucum. *Var.* a Molucó (Cut.).

Pag. 303, l. 8. Anni MDXLVIII. *Var.* MDXLVII (Cut. avec raison).
— l. 10. Malacæ. Ce mot manque dans Cutillas. S. François Xavier n'était pas alors à Malacca.
— l. 19. In Japonia. *Add.* Magnis conscientiæ morsibus intimisque sensibus angeretur, ob peccata quædam sub adolescentiam admissa, quibus nullum a bonziis remedium, nec animo quietem inveniebat (Cut.).

Pag. 308, l. dernière. La lettre est de 1548.

Pag. 320, l. 10. Goæ. *Var.* Mihi ut huc venirem Goam mandavit (Cut.). La lettre est de 1548.

Pag. 321, l. 16. Administrum. *Add.* Nondum sacerdotem (Cut.).

Pag. 324, l. 7. XI Kal. Novembris (22 Octobre). *Var.* 19 Octobre 1548 (Cut.).

Pag. 367. Ici doit se placer, d'après l'ordre suivi par le P. Menchiacha, la lettre V "R. P. Ignatio", qui se trouve à la page 388. C'est en tenant compte de la date de Cutillas, 15 Février 1549, qu'on l'a ainsi reculée ; mais le P. Menchiacha suit ici Tursellin, XIX Kal. Febr. (14 Janvier).

Pag. 385, l. dernière. VI Nonas. *Corr.* IV Nonas Febr. (2 Février). C'est la date de Tursellin. Le P. Menchiacha préfère celle de Cutillas, 28 Janvier 1549.

Ici doit se placer la lettre à Simon Rodriguez "*Ne mirere*", renvoyée à l'appendice du second volume. Elle est du 1 Février 1549 dans Possinus, et du 21 Juin à Malacca, dans Cutillas. La première date est adoptée par Menchiacha.

Pag. 387, l. 24.—VIII Kal. Februarias (25 Janvier) 1549. *Var.* 2 Février. Le P. Menchiacha adopte cette dernière date. Voici comment doivent être disposées les premières lettres du cinquième livre pour être en conformité parfaite avec l'édition reproduite :

I. — R. P. M. Ignatio. *Etsi litteris.*
II. — Eidem. *Trinas ad te.*
III. — Joanni III. *Non scribo.*
IV. — M. Simoni Roderico. *Nullis consequi verbis.*
V. — Eidem. *Ne mirere.*
VI. — Eidem. *Qui has tibi.*
VII. — P. Gaspari Barzæo. *Ante omnia.*

Tome II.

Pag. 5, ligne 20. Festo Corporis Christi. C'est-à-dire le 20 juin 1549.

Pag. 6, ligne 2 du sommaire. Describendi. *Corr.* de scribendi.

Pag. 23, l. 6. Gonzalez. Ailleurs il est appelé Fernandez.

Pag. 31, l. 26. Excitas. *Corr.* Excitatas.

Pag. 42, dernière ligne. Exituri. *Corr.* Extituri.

Pag. 74, l. 25. Die S. Mariæ Magdalenæ sacro. Cut. ajoute : pervigilio.

Pag. 78. l. 7. Promoto. *Corr.* promota.

Pag. 89. l. 10. Præclarisque. *Var.* Institutæ vitæ difficultatibus.

Pag. 95, l. 23. Cives primarii. *Var.* Saxumæ principes (Cut.).

Pag. 98, l. 1. Peregrinorum amor. *Var.* propinquorum peregrinorum amor (Cut.).

Pag. 100, l. 8. Ornatu. *Add:* nigro instar (Cut.).

Pag. 104, l. 4. Nonaginta. *Var.* Nongentis (Tursellin). — 190 millibus (Cut.).
— l. 7. Ducenta. *Var.* Viginti (Turs.).
— l. 19. Banduensis regio. *Var.* regnum Bandau (Cut.).

Pag. 105, l. 14. Petimus. *Var.* Petemus (Cut.).

Pag. 110, l. 27. III Non. Novembris (3 Novembre). *Var.* 5 Novembre (Poss.).

Pag. 116, l. 1. Vespere *Var.* Pervigilio seu pridie (Cut.).

Pag. 127, l. 25. Leguixi. *Var.* Leguixu (Ital.).

Pag. 127, l. 29. Frenojama. *Var.* Frazon. (Ital.).

Pag. 129, l. 25. Quam si veram, etc. *Var.* Quæ si vera sit et sana. enimvero fore ut diabolus ditionis suæ partem amissam doleat (Itala versio).

Pag. 138, l. 8. Excedant. *Corr.* Exscendant.

Pag. 146, l. 6. Nonaginta millia. *Add.* Ultra centum (Cut.).

Pag. 159, l. dernière. Cut. donne la date du 20 Novembre et ajoute : Vester in Christo carissimus frater, Franciscus.
Il est probable que la première partie de cette lettre est du 20 Novembre 1550, et la seconde de 1551 au milieu de l'année. Les premiers éditeurs ont quelquefois réuni plusieurs lettres.

Pag. 161, l. 16. Ex Japonia. *Var.* Ex Fingensi Japoniæ portu solvimus in Indiam (Cut.).

Pag. 162, l. 17. Cut. ajoute : Vester minimus frater. — Le contexte montre que la lettre est du 29 ou du 30 Décembre.

Pag. 166, l. 14. Transegerunt. *Add.* Quare opus est cum magistris illis decertare (Cut.).

— l. 19. Patientia insignis. *Add.* Profunda humilitas (Cut.).

— l. 21. Dimicationibus. *Add.* Et contradictionibus, præsertim bonziorum (Cut.).

Pag. 176, l. 16. IV Kal. Februarii (29 Janvier). Cut. donne la date du 25.

Pag. 180, l. 11. Ejus. Il faut peut-être lire *eos.*

Pag. 191, l. 7. Longa. *var.* Superante numerum 170 (Cut.).

— l. 14. Aspernantur. *Add.* Quin ut deum suscipiunt (Cut.).

— l. 20. Millesimum. *var.* Bis millesimum aut etiam ter millesimum (Cut.).

Pag. 192, l. 7. Exploratam. *var.* Probatam sibi et exploratam ut rationi congruentem (Cut.).

— l. 8. Bonziorum. *Add.* et bonziarum (Cut.).

— l. 24. Fœnore. *var.* Pro uno denario decem (Cut.).

— l. 30. Atque, etc. *var.* Ibi apud Xacam et Amidam ita quemque maxima in gratia et gloria futurum, ut fuerit illorum causa erga bonzios et bonzias beneficus (Cut.).

Pag. 193, l. 2. Nobis, etc. *var.* Contra ea concionantibus, frequentem populum convocabant, et obtrectandi studio (Cut.).

Pag. 195, l. 13. Thoracem. *var.* Un rico cuerpo de armas (Cut.).

— l. 14. Certum hominem. *Add.* familiæ suæ primarium (Cut.).

— l. 29. Aureos. *var.* doblones (Cut.).

Pag. 196, l. 12. Aliquot. *var.* duo (Cut.).

Pag. 198, l. 6. Venturi sunt. *Add.* magna virtute ac doctrina præditi (Cut.).

Pag. 199, l. 8. Orbiculos, etc. *var.* Singulos orbiculos decurrunt dicentes : Jesus, Maria, Pater noster, Ave Maria ; itemque Symbolum paulatim ediscunt (Cut.).

— l. 12. Japonum. *Add.* neophytorum (Cut.).

Pag. 200, l. 8. Æquitatis. *Var.* Pacis (Cut.).

Pag. 203, l. 2. Perturbate. *Add.* Vereor, ne vel ipsa scriptionis meæ prolixitas tædium afferat legentibus : me tamen solatur, quod ipsis tædium cum scriptura deponere in promptu est (Cut.).
— l. 12. Totus, etc. *Var.* Vester minimus in Christo frater (Cut.).

Pag. 208. l. 14. IV Non. Febr. (2 Février). — La date donnée par Cutillas, 30 Janvier, doit être plus exacte.

Pag. 217, l. 12. Joanni Roderico. *Var.* Consalvo Roderico.

Pag. 253, l. 8. VII Apr. *Corr.* VII Idus Apr.

Pag. 260, l. 3. Cette lettre doit être du mois d'Avril 1552.

Pag. 281, l. 11. Quod ille, etc. *Var.* Quod illi a tua majestate missum, cujusmodi tandem sit, si intellexerit, næ id ipsi etiam Sinarum imperio longe anteponet (Cut.).
— l. 19. Tres omnino. *Var.* Legatus pergit, ut pacem inter Sinarum regem majestatemque tuam conciliet ; nos vero qui e Societate sumus, tuæ majestatis servi proficiscimur, ut inter dæmones eorumque cultores regi primum, deinde cæteris (Cut.).

Pag. 284, l. 8. Certum hominem. *Vur.* Fratrem Andream Fernandez. qui has tibi reddet litteras (Cut.).

Pag. 287, l. 14. Gonzalus Fernandez. *Var.* Gonzalus Franciscus, solitus intemperiis tuis animarum zeli ac religionis nomen obtendere.

Pag. 290, l. 16. Aprili. Le 11, d'après Cut. ; le 13, d'après Turs. Da première date semble préférable.

Pag. 329, l. 14. La lettre doit être du mois d'avril 1552.

Pag. 331, l. 9. Même observation.

Pag. 335, l. 28. Tu. *Corr.* ut.

Pag. 339, l. 21. Michaelem. *Var.* Manuelem (Col.).

Pag. 341, l. 7. Du mois d'Avril 1552.

Pag. 345, l. 3. Avril 1552.

Pag. 365, l. 2. Intercluserunt, etc. *Var.* In urbe Malacensi, cujus præfectus observare noluit proregis edictum ad id mihi concessum, nec est veritus censuras ecclesiasticas, a Sanctis Pontificibus in eos latas, qui Nuntios ac Legatos suos præpediunt (Cut.).

Pag. 366, l. 20. Uno aliquo sacerdote. *Var.* nonnullis sociis (Cut.).

Pag. 377, l. 16. Eveniat. *Var.* Evenerit, cujus me magnus tenet dolor ac miseratio. In Domino nostro spem habeo fore ut calamitas hæc tua et persecutio in majus tuum emolumentum honoremque succedat (Cut.).

Pag. 378, l. 13. *Add.* Servus tuus, Franciscus (Cut.).

Pag. 398, l. 22. La lettre est adressée à François Perez dans Cutillas.

Imprimatur,

✠ JOANNES, Ep. tit. Acanthensis,

Vicarius Ap. de Hong-Kong.

Hong-Kong, die 8 *Octobris* 1890.